QH 43
A5
v. 9

ACADEMY OF NATURAL SCIENCES
OF
PHILADELPHIA.
Presented by Edward [redacted]. WILSON.——18

Not to be loaned on any condition.

CAROLI A LINNÉ

Equit. aur. de Stella polari
Archiatri Regii
Med. & Botan. Profeſſ. Upſal.
Acad. Pariſin. Petrop. &c. Soc.

AMOENITATES ACADEMICAE

SEU

DISSERTATIONES VARIAE

PHYSICAE, MEDICAE BOTANICAE

ANTEHAC SEORSIM EDITAE

NUNC COLLECTAE ET AUCTAE.

VOLVMEN NONVM

EDIDIT

JO. CHRISTIANVS DANIEL SCHREBERVS

Ser. Marggr. Brandenb. Onold. & Culmb. Conſil. Aul. Med. Bot. Hiſt. nat. & Oec. P. P. O. in Acad. Erlangenſi.

ERLANGAE
Sumtu JO. JACOBI PALM
1785.

ACADEMY OF NATURAL SCIENCES OF PHILADELPHIA

QH43
A5
v.9
1,511

L. B. S.

EDITOR.

Quod a multis desideratum fuerat, ut scilicet novissimæ b. Equ. & Archiatri, C. a Linné, dissertationes academicæ colligerentur, reliquisque, septem voluminibus sub Amoenitatum Academicarum titulo editis, adjicerentur, id Viri summi Filius & in Cathedra botanica Upsalienſi Successor, se facturum esse promisit quidem, sed fato præmaturo rebus humanis ereptus nomen solvere non potuit. Post Viri autem Celeb. obitum quoniam neminem qui Ejus vices obire velle videretur, esse intellexi: ne diutius mancum esset hoc opus, laborem istum in me suscepi, & non modo dissertationes, a b. Præceptore Ipso confectas, sed etiam illas, ad quas conscribendas auctoribus materiem suppeditavit plurimam; quin immo, suasu amicorum, quibuscum consilium supplendorum horum opusculorum, a me captum, communicaveram, omnes ac singulas, quæ sub

LIBRARY

ſub Præſidio Viri immortalis ventilatæ fuerant, & in iſtis ſeptem tomis deſiderantur, etiamſi Ipſe ad eas perficiendas parum vel nihil contribuiſſet, collectas recudi curavi. Quum vero tantum diſſertationum numerum, qui ad ſenarium ſupra trigeſimum adſcendit, non commode caperet unicum volumen, dividere illas ſatius duxi, ita, ut alterum, quod octavum totius collectionis eſt, iſtas complecteretur, quæ vel totæ, vel majorem partem ab ipſo b. Viro concinnatæ videntur, alterum illas, in quibus componendis Eum parum vel nihil auxilii auctoribus commodaſſe ſatis apparet. In ſingulis autem, typis repetendis, ſedulo curavi, ut operæ prototypa fideliter ſequerentur; nihil mutavi, præter errores, a manu feſtinante vel typothetæ, vel notarii aut ipſius auctoris commiſſos; nihilque addidi, præter voces paucas, quas paſſim omiſſas, & in quibusdam diſſertationibus calamo adſcriptas reperi. Aliquas tamen adnotatiunculas paſſim adſperſi, nota Editoris *adlita. Quod reliquum eſt, Fautoribus Amicisque qui diſſertationes Linneanas quibus carui, mecum communicaverunt, quarum quidem quasdam ab ipſo b. Auctore, quasdam partim ab Ill. Murray, Equite, Conſil. aul. M. Brit. Regis & Prof. Gotting. celeberrimo, partim a Meyero mihi amiciſſimo, Pharmacopola apud*

apud Stettinenſis meritiſſimo, plurimas vero a doctiſſ. Ehrharto, M. Brit. Regis Botanico clariſſimo, accepi, iis pro tanta qua me ornarunt, benevoleniia, gratias hic palam ago quas poſſum maximas. Denique jure laudare debeo ſolertiam artificum; tabulæ enim inciſæ præſtantia ac nitore non dicam æquant, ſed fere ſuperant eas, quæ priori diſſertationum editioni erant adnexæ. Scr. Erlangæ Non. Aug. MDCCLXXXV.

DISSERTATIONES
IN NONO VOLUMINE CONTENTAE.

		pag.
CLXXII.	Hæmorrhagiæ uteri ſub ſtatu graviditatis. *E. Elf.*	1
CLXXIII.	Methodus inveſtigandi vires medicamentorum chemica. *L. Hiortzberg.*	23
CLXXIV.	Conſectaria electrico-medica. *P. Zetzell.*	35
CLXXV.	Pulſus intermittens. *A. Wåblin.*	43
CLXXVI.	Cortex peruvianus. *J. C. Petèrſen.*	64
CLXXVII.	Ambroſiaca. *J. Hidén.*	106
CLXXVIII.	Hæmoptyſis. *J. M. Gråberg.*	118
CLXXIX.	Venæ reſorbentes. *C. P. Thunberg.*	131
CLXXX.	Febrium intermittentium curatio varia. *P. Tillæus.*	143
CLXXXI.	Hæmorrhagiæ ex plethora. *E. ab Heidenſtam.*	195
CLXXXII.	Suturæ vulnerum. *C. E. Boecler.*	223
CLXXXIII.	Medicamenta purgantia. *J. Rotheram.*	245
CLXXXIV.	Perſpiratio inſenſibilis. *N. Avellan.*	268
CLXXXV.	Canones medici. *S. A. Hedin.*	278
CLXXXVI.	Scorbutus. *E. Salomon.*	291

CLXXII.

HÆMORRHAGIÆ UTERI SUB STATU GRAVIDITATIS

PRÆSIDE

D. D. CAR. LINNÆO

PRO GRADU DOCTORIS

propositæ ab

ERICO ERICI ELF
Helsingo.

Upsaliæ 1749. *Decemb.* 6.

---

§. I.

Quid per hæmorrhagiam intelligatur, unicuique haud difficile est perspectu, qui propriam vocabuli significationem novit esse copiosum sanguinis cum impetu effluxum. Hanc significationem neque opus est pluribus circumscribere terminis, nisi quod evacuatio ista fiat e quacunque parte corporis humani viventis.

§. II.

Corpus humanum, quamdiu in eo ſtatu eſt conſtitutum, ut omnes actiones ſibi proprias exercere valeat cum facilitate, oblectamento & quadam conſtantia, ut recte dicit Excell. Boerhavius, habetur ſanum; ut vero hæc conditio ſarta tectaque conſervetur, tot a Summo Statore hujus univerſi dicata ſunt inſtrumenta, eorumque inter ſe relationes, quot ne mortali cuipiam ad ungvem exſpiſcari adhuc datum fuerit. Si vero horum inſtrumentorum vel unicum aliquo modo læſum fuerit, aut relatio inter illa peccet, corpus humanum in illum redactum eſt ſtatum, quem nomine morbi inſignire ſolemus.

§. III.

Ut ut cognitio ſingularum partium vitæ ac ſanitati hominis inſervientium exactiſſima adhuc deficiat, ex indagatione tamen tam veterum quam recentiorum Anatomicorum atque Phyſiologorum dudum evictum eſt, illas conſpirare ad continuandum circulum ſanguinis, ad ſecernendos ex hoc liquores unicuique functioni exercendæ proprios atque excernenda corpora machinæ humanæ noxia, quæ omnia, cum æquabili modo fiunt, id abſolvunt, quod Sanitatem dicimus.

§. IV.

Officiis iſtis peragendis indolem non tantum ſangvinis idoneam, verum etiam juſtam illius requiri quantitatem, per ſe itaque patet; hinc pro ut hæcce vel etiam illa variat, ſangvinis quoque evacuatio aut utilis & ſæpe neceſſaria quoque, aut plus vel minus noxia eſt; in illo caſu cum ſangvinis evacuatio ſub nomine morbi nequeat ve-

nire,

nire, ſub conſiderationem jam non cadit; in hoc caſu vero nomen Hæmorrhagiæ juſtis meretur titulis.

§. V.

Ad dignoſcendam hæmorrhagiam a reliquis cruciatibus, corpus humanum adfligentibus, non opus eſt, ut multa dicantur, cum ſanguis impetu effluens ſatis ſuperque unicuique adſpicienti hujus morbi ideam imprimat.

§. VI.

Cauſam proximam hæmorrhagiæ merito contendimus conſiſtere vel in præternaturali dilatatione & apertura, vel in ruptura vaſorum ſanguiferorum partis adfectæ. Ad haſce vero producendas multæ cauſæ remotæ ſuum conferre poſſunt ſymbolum, quas omnes inſtituti ratio non permittit enumerare; illas itaque tantum tangemus, quæ deinde dicendis lucem adferre queunt.

§. VII.

Præter illa, quæ quaſi modo mechanico immediate rupturam inducere valent, conſiderari meretur fluxus humorum ad aliquam partem magis quam ad reliquas determinatus, quem Stahliani verbo congeſtionis efferre ſolent. Hæc congeſtio non poteſt non inæqualitatem circulationis humorum indigitare, ita etiam variæ ejus conſtitui poſſunt cauſæ, ut debilitas partis adfectæ, irritatio, aliaque, quæ fluxum humorum illuc lege mechanica invitant, item obſtructiones partium vicinarum, illarum ſpasmi, ſuppreſſiones evacuationum alibi fieri ſolitarum, quibus etiam plethora, ſanguinisque indoles ſpiſſa ſæpe conjungi ſolent. Hiſce ſi

circulatio humorum aucta, aliqua ex causa occasionali superaccedens, consideretur, facile intelligitur quomodo hæmorrhagiæ exortus explicari potest.

§. VIII.

Hæmorrhagiæ divisionem in Criticam, quæ morbis supervenit diebus criticis cum levamine & remissione symptomatum, & Symptomaticam, quæ absque levamine manifesto cum prostratione virium incurrit, aliasque sicco præterimus pede; sufficit solum modo addidisse, illam varias recipere denominationes pro diversitate partium, quæ illa corripiuntur. Sic ex naribus sanguis proveniens, hæmorrhagia narium vocatur; ex pulmonibus si exsiliat, hæmoptysis audit; ex ventriculo per fauces eveniens, vomitus adpellatur cruentus; ex vasis hæmorrhoidalibus, sub nomine hæmorrhoidum venit; ex utero autem sanguinis vehementior effluxus, quam qui menstruæ evacuationi competit, hæmorrhagia vocatur uteri. Reliquis vero missis, de hæmorrhagia uteri paucis disserere animus est. Si vero B. L. vires meæ tuæ expectationi non suffecerint, aut in conscribendi ordine vel ratiocinii error irrepserit, & rudior stylus offenderit, benigno tamen ut interpreteris animo, etiam atque etiam oro quæsoque.

§. IX.

Corpus sexus sequioris non tantum ad acmen prius pervenire, quam nobilioris, omnium Physiologorum unanimi judicio evictum est, tam ex ipsa experientia quotidiana, quam ex ipsa mollitie corporis feminini, qua vasa actioni cordis minus resistentia facilius extenduntur; cum e contrario sexui

nobi-

nobiliori vasa sint duriora, actioni cordis minus cedentia, adeoque minus expansilia; verum quoque illud acmen transgressum magnam colligere humorum copiam, qua etiam opus fuerit, femina utero gerente, ad nutriendum fetum. Hanc plethoram & evacuationes quovis mense extra statum graviditatis contingentes evincunt, & enormes jacturæ sanguinis, vel per hæmorrhagias uteri nimias, vel per sæpius repetitas venæ sectiones, salva manente nihilominus femina, apud auctores practicos passim memoratæ, abunde testantur, quales jacturas sanguinis, sine & virium & vitæ dispendio, vel robore excellens vir neutiquam facere potuisset.

§. X.

Ast non satis est, feminæ concessam esse facultatem plurimum colligendi humorum, sed multis etiam rationibus illorum fit congestio ad uterum. Uterus enim facile extensilis situs est in loco declivi, scilicet pelvi, quæ latitudinem habet majorem in feminis, quam in viris. Hinc sanguis actione cordis projectus, elasticitate atque innata vi contractili arteriarum promotus, & ipso pondere per arterias ad uterum ducentes adjutus, illas debiliores & ampliores impetuique cordis *a)* cedentes, quin & ipsam substantiam uteri tanto facilius replet, cum angustia pelvis non impediat, & uterus constet non nisi vasis, densa, stipata, duriuscula, succulenta tamen cellulosa, in qua, præter nervos a plexu mesocolico infimo ortos, fibrarum aliquid simile muscularium, revinctis, quæ, extra

a) Hall. comment. in Instit. Med. Boerh. Tom. V. part. 2. §. 661. n. a. & §. 665. n. a. Hall. Prim. Lin. Physiol. §. 813. 816.

ſtatum graviditatis ſerpentino ductu decurrentia, ſunt dilatabilia. Sanguis in uterum jam congeſtus ob ipſum pondus majori redit difficultate, cum venæ reducentes eum ad perpendiculum revehant, quæ, ſi paucas in ſpermaticis excipias, deſtituuntur valvulis, alioquin ſanguinis retrogreſſum multum facilitantibus; præterea hæ venæ plus habent roboris, adeoque minus diſtenſiles ſunt, nec non ſunt minores *b)* pro ratione arteriarum; ad quod accedit, quod hæ venæ circa uterum ſunt ampliores, & minores ubi truncis ſuis inſeruntur. Ex hiſce ſequitur, ſanguinem majori copia per arterias adferri, minori vero per venas revehi; hinc neceſſe eſt, ut in arterias uteri congeratur, cum columnæ ſanguinis, una poſt alteram venientes, continuo urgeant, usque dum, cum venæ tantam recipere ſanguinis copiam negent, extremitates arteriarum exhalantium *c)*, quæ in non menſtruantibus non niſi humorem ſeroſum fundunt, ita dilatantur, ut ſanguinem recipientes illum in cavitatem uteri ſtillent, donec plethora imminuta ſit; unde nimia illa preſſione

b) Halleri Prim. Lin. Phyſiol. §. 809. 813. ejus comment. in Boerh Inſt. Med. T. V. p. II. §. 665. n. a.

c) Multi equidem auctores contendunt, in ſubſtantia uteri inveniri ſinus quosdam ſanguinem ab arteriis recipientes, poſteaque illum in uterum deponentes; ſinus vero non dari, ſed vaſa tantum cellulositate quadam cincta, firmiſſime perſvaſus ſum, cum apud hujus ævi ſummum Anatomicum Perilluſtrem *Dn. Hallerum*, cujus fideliſſimam informationem, perplurimaque in me merita, graviſſima ac venerabunda mente ad extremum usque vitæ halitum ſemper agnoſcam, meis hiſce oculis viderim, in utero feminæ, puerperio exſinctæ, feliciter injecto, nullos ejusmodi reperiri ſinus, qui ſane per ceram in irregularia ſpatia effuſam ſe prodidiſſent, ſi adfuiſſent, in hoc vero utero omnis cera intra membranas in cylindrum convolutas continebatur.

ſione ſublata, vaſa, dum elaſticitatem ſervent, iterum ſe contrahunt, fluentique ſanguini hac vice finem faciunt. Majorem ad uterum determinationem, & vaſorum inde tantam diſtractionem, ut etiam vicini nervi diſtrahantur, quas ſcimus vaſa plerumque ſequi, probant quoque molimina varia, ut dolor, calor, pondus &c. quæ ante hunc fluxum ſentiuntur in lumbis, ad pubem & inguina.

§. XI.

Hæc evacuatio ſanguinis, quæ ſub nomine menſtruorum venire ſolet, renata iterum copia ejusdem, poſt menſem recurrit lunarem, atque ita decurſus ſuos ordinario ſervat, initio facto circa 2:dum ſeptenarium usque ad ſeptimum, (non tamen negamus, variationem dari inſignem & qua ipſum tempus primæ eruptionis atque ultimæ ſuppreſſionis, & qua ipſas periodos, ratione locorum, diætæ & conſtitutionis ſubjectorum) niſi ex cauſa quadam ſupprimatur, unde multi gravesque oriri ſolent morbi, vel ob conceptionis negotium ſiſtatur, ut ſanguis retentus in alimentum cedat fetus. Quo itaque proles obtinenda cuidam eſt optatior, eo cautius eſt mercandum, ne ſpes ejus per hæmorrhagiam uteri, ſub ſtatu graviditatis malo omine excitatam, deſtruatur. Quam difficile vero ſæpe ſit ab illa præſervare, & præſentem abigere, facile vident, qui conſiderant, cauſas prædiſponentes hæmorrhagiæ ſemper in hoc ſtatu adeſſe, quæ cum quadam occaſionali conjunctæ hæmorrhagiam producere poſſunt, quin etiam ſæpe caſus dari, ubi in noſtra non eſt poteſtate hæmorrhagiam tollere ſine extractione fetus.

§. XII.

Quot opiniones Phyſiologi circa conceptum fovent, non mei eſt inſtituti heic enumerare; ac non tantum labor humeris meis non ferendus eſt, ſed etiam fere inutilis, enodare, cujus ſententia maximam habeat ſpeciem veri; ſufficit, cum certitudine concludi poſſe, ovum ſpermate virili fecundatum & in uterum adlectum, ibidem in ambiente humore fotum emittere rudimenta placentæ, quæ plerumque & quidem naturaliter ſe adfigunt craſſiori parti, ſcilicet fundo, uteri, ſed non tam conſtanter, quin poſſint etiam lateribus, imo etiam orificio uteri adnaſci *d)*. Ovulum hocce, in quo rudimenta fetus jacent recondita, ſemper augetur & creſcit, ut, quod primis ſeptimanis vix granum æquabat, ultimo graviditatis menſe 12, forſan etiam plurium ſit librarum *e)*, atque pro magnitudine fetus & multitudine aquarum in magnum extendatur volumen. Placenta, quæ initio non fuit niſi filamentum quoddam ſubtiliſſimum, excrevit ultimo tempore in magnum rotundum viſcus, latitudinis dimidii pedis & ultra, & craſſitiei plus ſæpe quam unciæ. Hoc viſcus vaſis tantummodo con-

---

d) Placentam non niſi fundo uteri adnaſci contendit *Deventer*, imputans obliquitati uteri, ſi manus obſtetricantis placentam ab utero poſt partum ſolutura, illam non in fundo ſed ad latus quoddam invenerit. Contrarium vero, & quidem veritati conſonum, experientiæque, multi alii demonſtrarunt. Ipſam vero ipſi orificio uteri adnaſci inter auctores artis obſtetriciæ, quorum labores adhuc publici juris facti ſunt, unicus eſt Noſter *von Horne*, qui propria experientia edoctus aſſerit, cujus aſſertionem celeberr. *Dn. Doctor Fried*, Practicus & Obſtetricans Argentinenſium feliciſſimus, in prælectionibus ſuis dixit ſe inveniſſe veram.

e) Manningham. Compend. artis obſtetr. p. m. 55.

conſtat, arteriis ſcilicet & venis, celluloſa revinctis, quorum venæ recipiunt ſanguinem a contigui uteri arteriis, illumque ad fetum vehunt, arteriæ vero ſanguinem a fetu revertentem in venas fundunt uteri.

§. XIII.

Ipſe uterus quoque, qui in virgine vix magnitudinem habebat piri, jam gravidus in inſignem excrevit magnitudinem. Ejus craſſities tantum abeſt ut ſub graviditate minuatur, quin potius augeatur *f*), excepta tamen inferiori ejus parte, quæ ultimis geſtationis menſibus, pondere aucto fetus incumbente, ita adtenuatur, ut digitus, ſtatum gravidæ explorans, per ſubſtantiam uteri caput fetus tanquam globum durum perfecte diſtingvere poſſit. *Alioquin* ſubſtantiam uteri craſſeſcere non prohibent vaſa ejus, quæ extra graviditatem ductu ſerpentino repentia, in illo magis fiunt exporrecta in rectitudinem, & ita expanſa, ut, quæ antea fetum vix admiſerunt, jam vel digiti minimi ſint capacia.

§. XIV.

Ex hiſce, ut credo, ſatis ſuperque patet, cauſas remotas hæmorrhagiæ uterinæ apud gravidas adeſſe.

f) Uterum in ſtatu graviditatis adtenuari, ut Galenus ejusque ſectatores, & poſt illum Mauriceau aliique voluerunt, recte negarunt de la Motte, Manningham, Deventer &c. De hac veritate etiam ter Gottingæ apud ſummum *Hallerum* convictus ſum, prima vice in cadavere puerperæ una cum fetu extinctæ, altera in cadavere feminæ poſt editum fetum tertio die mortuæ, tandemque in cadavere meretriculæ, quæ ab adſumtis pharmacis ad pellendum fetum, poſt illum exclusum cito obiit, cujus uterus inveniebatur rimam egiſſe.

esse. Plethora, sexui sequiori alioquin propria, sub statu graviditatis adhuc magis augetur. Quamprimum enim mulier concepit, debet evacuatio menstrualis supprimi, unde sanguis quovis mense continuo magis magisque augetur, qui tanto magis primis mensibus minatur hæmorrhagiam, cum tenellus adhuc fetus tantam quantitatem humorum in sui nutritionem vertere nequeat. Congestionem vero sanguinis ad hoc viscus majorem fieri, arguunt & titillatio a semine masculo injecto irritante, & irritatio ovuli continuo augmento uterum per gradus distendente. Præter hæc considerandum venit, quod placenta quidem utero adhæret, sed non tam arctis vinculis, quin possit aliquo in loco ex quadam caussa superveniente dirimi. Cum vero placenta utero adhæreat vasis, quæ inosculantur vasis uteri, sequitur, vasa, quæ, quamdiu uterus contentis est distentus, sese non possunt contrahere, eo in loco, ubi placenta soluta est, continuos fundere rivos sanguinis, donec ne gutta superstes sit, nisi præsens adhibeatur auxilium.

§. XV.

Hæmorrhagiæ uterinæ variæ occasionales causæ ansam præbere possunt, quæ, præter externam violentiam, ut ictus super abdomen receptos, casus ab alto, pondera gestata, vestes arctius abdomini adstrictas, &c. ad ea referri possunt, quæ sanguinem in majorem motum excitando cogunt uterum ad se contrahendum & fetum ejiciendum, vel alioquin placentam ab utero solvunt. Huc adnumerari possunt animi pathemata vehementiora, pellentia, stimulantiaque pharmaca, vomitoria & purgantia vehementia, motus vehemens, equitationes, saltationes, calor æstuans, vomitus, tussis, sternutationes vehementes, venus exercita, venæsectio-

fectiones in pede &c. Hiſce addendi morbi varii graviditati ſupervenientes, ut paroxyſinus hyſtericus, paroxyſmi calculi renum atque veſicæ, colica, alvus obſtructa, inteſtinorum tormina varia, diarrhœæ & dyſenteriæ, hæmorrhoides, abortus ſæpius prægreſſus, mola una cum fetu in utero exiſtens.

§. XVI.

Quando mulier ex amatorio complexu concepit, quod plerumque & quidem optime ſit primis diebus poſt menſes, gravia quædam ſymptomata, ut nauſea, vomitus &c. illam adfligunt, quæ tamen non timemus, hæmorrhagiam ne inducant, cum potius reſorbtioni partis cujusdam ex ſemine maſculo in ſanguinem, quam ſanguinis copiæ auctæ adſcribi poſſe videantur; ſanguis enim primo menſe non majori neceſſe eſt colligatur quantitate, quam extra ſtatum graviditatis colligeretur, ſub finem vero menſis, item reliquis menſibus, ſi incidant, omni circumſpectione ſunt ſopienda, ne aucta & continuata hæmorrhagiam excitent, quæ inprimis illis diebus ac hebdomadibus timenda, in quas alioquin inciderent menſtruæ periodi. Conſvetudo menſtruorum tantam habet vim, ut primis menſibus ſub ſtatu graviditatis ſæpe ſanguinis fluxum inſtar evacuationis menſtrualis experiantur mulieres, inprimis plethoricæ. Hic fluxus quando ex vaſis tantummodo circa orificium uteri repentibus provenit, tantum periculi non minatur, ideoque terrorem non incutiat, ſi modo ſequentibus circumſcriptus ſit conditionibus: ut non a gravi quadam procatarctica cauſſa inductus ſit; ut temporibus ſolitarum periodorum menſtrualium incidat; ut non fluat ſanguis tanta copia, quanta extra ſtatum graviditatis conſvevit, neque tam longo temporis ſpatio duret; ut ejus color ſit remiſſior;

ut

ut nihil coagulati cruoris, neque fibræ quædam carneæ fluenti sanguini mixta sint; ut sanguis non exeat fluxu impetuoso & quasi per subsultus, sed æquabili; ut nullæ tensiones, dolores, pressionesque in dorso, lumbis, inguinibus superveniant; ut orificium uteri tactu exploratum ea parte, quæ cavitatem uteri respicit, perfecte sit clausum.

§. XVII.

Ex hisce circumstantiis quamvis cognoscamus, non tantum instare periculi, non tamen simus, oportet, tam securi, quin metuamus, ne hic fluxus possit irritare uterum ad evacuandum ea, quæ in se continet, ideoque consultius est in hoc casu gravidæ præscribere dietam & medicamenta convenientia. Hoc regimen in eo consistat, ut gravida abstineat ab iis, quæ motum sanguinis augere & ad uterum determinare possunt; fugiendi cibi aromate conditi, salsi, fumo indurati, flatumque excitantes; vinum, aliique liquores spirituosi exulent; ab animi adfectibus sedulo caveat gravida; neque venus sub hoc tempore celebretur; quovis mense, duobus ante instantem periodum diebus, venam curet in brachio secandam, quod continuetur donec motus sentiantur infantis. Quando sanguis fluere incipit, & animo & corpore in lecto maneat quieta, ac quotidie repetitis vicibus sumat nitrosa, papaverina, leniter anodyna, emulsiva medicamenta, aliaque convenientia.

§. XVIII.

Ab hoc vero sanguinis fluxu menstruali probe distingui meretur hæmorrhagia uteri, quæ & sub & extra id tempus, quod menstruæ evacuationi respondet, incidere potest. Hanc absolvit sanguis e genitalibus ubertim prosiliens, & quidem per subsultus,

fultus, qui mox ceſſat paululum, mox iterum erumpit, & quavis vice recurrens majori urget vehementia, ſecum vehens thrombos coagulatos, ſæpeque fibras carneas; color eſt rubet, qui magis magisque fit intenſior. Quando huic ſe jungunt dolores & ſpaſmi, vel leniores, vel vehementiores, in dorſo, regione lumbari, ad ſinum pudoris usque deorſum ſeſe extendentes, qui inſtar dolorum partus jam ceſſant, jam iterum urgent, &, ſi orificium uteri incipit aperiri, in quo veſicula cum aquis, illam diſtendentibus, eminet, metuendum eſt, ne abortus brevi inſtet. Cauſa proxima hujus fluxus conſiſtit in apertura vaſorum quorundam uteri, facta ex ſolutione placentæ uterinæ vel qua partem vel qua totum, quæ, quamdiu uterus fetu diſtentus eſt, non poſſunt ſe contrahere, adeoque ad extremum vitæ halitum usque ſanguinem fundere continuant.

§. XIX.

Hanc hæmorrhagiam, quatuor & quinque primis menſibus ortam, etſi Mauriceau g) dicit non eſſe lethalem, cum vaſa uterina connubium cum vaſis placentæ trahentia adhuc in tantam non excreverint molem, ut magnam ſanguinis copiam fundere poſſint, illam vero, quæ 7:mo 8:vo & 9:no menſe fit, omnino eſſe funeſtam, niſi fetus extrahatur; non minus tamen periculi minari illam & obſervationibus ipſius Mauriceau & aliorum conſtat. Ex vehementia itaque ipſius hæmorrhagiæ eventus ejus judicari debet.

Ex auctorum obſervationibus exempla habemus varia ſedatæ hæmorrhagiæ fetusque conſervati, vehe-

g) Traité des Maladies des Femmes groſſes p. 159. 171.

vehementior vero cum conditionibus priori §. o recenſitis nullam ſpem relinquit fetus conſervandi; ſi itaque tempus vana exſpectatione, inutili & ſæpe noxia medicatione protrahatur, fetusque non eximatur artificioſa manu, ægra poſt ſcotomiam, ſyncope aurium, pulſumque maxime debilem una cum latice vitali evacuato animam efflat.

§. XX.

Ex antea dictis facile conſtat, qualis cura, & quando ſuſcipi debeat. Si minus vehemens hæmorrhagia ſatis concedat temporis, tentari & poteſt & debet, ut ſanguis ſiſtatur, quod fiat venæ ſectione in brachio, illaque ſecundum indicationes repetita, ligamentis artubus inditis, medicamentis interne datis ex nitroſis, papaverinis, leniter anodynis & emulſivis, quibus conjuncta imperetur ſumma quies in lecto & animi tranquillitas. Hiſce vero inutiliter tentatis, ſi hæmorrhagia increſcit, ſymptomata ſupra recenſita ſuperveniunt, & vires incipiunt matri deficere; ut ſervetur, pro ratione circumſtantiarum curandum, ut fetus ſecundum regulas ſcriptorum artis obſtetriciæ extrahatur, placentaque eximatur.

§. XXI.

Alia etiam interdum occurrit hæmorrhagia, prædictæ haud abſimilis, quæ a mola ſuam agnoſcit cauſſam. Quomodo mola generetur non mei eſt heic enodare, ſufficit ſigna quædam ſolummodo tradere, quæ ab obſervatoribus exhibentur ad diſtinguendam hæmorrhagiam a molæ geſtatione ortam, ab illa, cujus antea mentionem fecimus. Antea tamen ſtudio moneo, me heic tantummodo indigitare molam veram, non vero ſpuriam, quam polypoſam concretionem in utero factam eſſe convenio,

venio, satis tamen observatorum testimonio convictus, etiam veras dari molas *b)*, inter quos nominasse sufficit Garmannum *i)*, Ruyschium *k)*, Kerkringium *l)* & Vaterum *m)*.

§. XXII.

Indicium molæ cum ipso fœtu præsentis nullum esse certum, penitus sum persvasus. Molam quoque solitariam a vera graviditate, præcipue primis mensibus, dignoscere, si non impossibile, saltem est difficile, cum signa utriusque plane sint communia. Progressu vero temporis suspicionem ejus præbent, venter ab ipso initio magis, quam ordinario, auctus, ac undique æqualiter extensus, ejusque tumor non elatus abdomen & epigastria versus, sed deorsum pendulus, sensus in abdomine ponderis inertis, sæpe huc & illuc devoluti, mam-

---

b) Mirari licet, quod Chirurgus Gallus Levret in tractatu suo de polypis uteri atque nasi, Gallice nuper edito, contendit nullas dari molas veras, sed omnes molas ad polyposas uteri concretiones referendas esse. Hic liber quædam continet bona, quæ, si vocabularium inutile, propriæ laudes & sesquipedales Chirurgorum Gallorum citationes, aliaque varia demerentur, in aliquot pagellas redigi possent. Sed quid non facit amor sui suorumque & furor scribendi?

i) Diss. de Gemell. & part. numeroso, itemque dissertat. de homine ex ovo.

k) Thess. Anat. III. N. 16. Thes. VI. N. 42. N. 43. n. 3. N. 81. n. 5. N. 93. Thes. anat. IX. N. 24. ejusdem Adverss. Anat. Dec. 1. 8. p. 21. Huc pertinet observatio Mangeti Biblioth. Anat. T. I. p. 474. de mola texturæ carneæ, pertinque fibrosæ, in cujus meditullio ossicula latebant.

l) Spicileg. anat. obs. 88.

m) Diss. de mola prægnante Vitembergæ 1732.

mammæ intumescentes & serosi quid fundentes, sed non duræ, verum flaccidæ & pendulæ. Hisce se jungit tertio vel quarto mense graviditatis hæmorrhagia, quæ mulierem vehementia sua brevi jugulat, nisi corpus illud peregrinum ex utero exterminetur. Ad hoc vero efficiendum si dentur medicamenta pellentia, eo citius cum sanguine vitam effundit ægra, hinc consultius illud manu extrahere artificiosa.

§. XXIII.

Restat jam, ut paucis etiam tangamus hæmorrhagiam, quæ sub ipso partu accidere solet; cum vero nullus partus accidat sine aliqua sanguinis effusione, jam repeto, quod antea monui, me non aliarum suscepisse tractationem evacuationum sanguinis, nisi illarum, quæ cum periculo sint conjunctæ. Attamen ut hæ, quæ terrorem injicere debent, eo melius a reliquis dignoscantur, haud alienum esse credo, paucis dicere, unde sanguis, qui sub partu naturaliter effunditur, suam ducere possit originem.

§. XXIV.

Cum gravida novem a conceptu complevit menses & ad terminum gestationis pervenit, incipit uterus spasmodica constrictione deorsum urgere ovum, fetu & aquis repletum, quæ actio adjuta motu voluntario inspirationis auctæ a matre ipsa sensim aperit orificium uteri, unde ovum adpressum ad latera hujus orificii non tantum mucum magna quantitate ex sinubus mucosis in cervice uteri sitis, sed etiam comprimendo vasa per cervicem repentia ex illis sanguinem exprimit, qui cum muci copia mixtus præbet signum, orificium dilatari, partumque brevi instare, ideoque occasionem

nem præbuit Gallis adpellandi hanc mixturam sanguinis & muci, *les marques*, Germanis *die zeichen*. Sæpe etiam accidit, ut sub quovis dolore major quantitas sanguinis, vel dilutioris vel etiam coagulati, evacuetur, qui etiam ex arteria quadam majori in orificio uteri rupta a capite infantis premente provenit. Hæc profluvia sangvinis, si nullæ causæ prægressæ præbeant suspicionem solutæ ab utero placentæ, & si dolores inde non minuantur vel cessent, nihil incutere debent terroris, cum sistantur penitus increscentibus doloribus, fetuque urgente.

§. XXV.

Ab hisce & periculo & vehementia longe distat vera hæmorrhagia uteri, circa tempus instantis partus ingruens, cujus apud auctores artis obstetriciæ fit mentio *n)*. Nemo vero meliorem ejus dedit descriptionem qua causas, signa & curam, quam noster *von Horne*. Reliqui omnes causam hujus hæmorrhagiæ constituerunt in placenta ab utero soluta, illaque devoluta ad uteri orificium, unde vasa uteri ob fetum contentum & distendentem se constringere non valentia sanguinem jugi fundant fluxu. Nisi ita placuisset Deventrio hypothesis illa de obliquitate uteri, & quod sedes placentæ nullibi esset, nisi in fundo uteri, certe videre potuisset, lapsum

n) Ut apud Manningham compend. artis obstetr. p. m. 74. La Motté Traité complet des accouchemens ob. 230. 231. 232. 233. Deventer. cap. 31. Dionis libr. III. cap. 24. Just. Siegmundin *Brandenburgische Hof-Wehemutter* cap. 6. Joh. von Horn in tractatu suo, cui Titulus: *Den Swenska wäl öfwade Jord-Gumman* libr. I. cap. 17. & libr. II. cap. 23. ut & in ejus Ziphra & Pua Part. I. cap. 7.

lapsum ejusmodi placentæ fere esse impossibilem, præsertim adhuc non ruptis membranis, cum uterus undique ovum circumdans, ei ita se adplicet & ab omni parte ipsum adprimat, ut nullo modo ad hanc vel illam plagam devolvi queat.

§. XXVI.

Ut antea dixi, inter omnes artis obstetriciæ, quorum labores adhuc publici juris facti sunt, doctores unicus est noster *van Horne*, qui veram hujus hæmorrhagiæ causam detexit, scilicet, quod placenta uterina orificio adnata sit; quo casu itaque cum uterus partu instante in ovum agere incipit ad dilatandum orificium, vincula inter placentam & illud solvuntur magis magisque, quo plus orificium dilatetur, unde vasa aperta se contrahere non valentia sanguinem fundunt. Ut placenta variis modis orificio adnasci potest, ita exinde majus vel minus eminet periculum. Si ipsum centrum placentæ ipsi centro orificii superjacet, majori certe discrimini exponuntur & mater & fetus, quam si solummodo pars quædam placentæ huic vel illi lateri orificii adplicetur. In utroque casu quidem utrique est discrimen vitæ eminens, nisi auxilium mature præstetur, in hoc tamen majori facilitate & celeritate ferri potest, quam in illo.

§. XXVII.

Partum hoc periculo stipatum instare, etiam antequam ipse fluxus sanguineus illud prodit, prædici potest, si obstetrix uno vel altero mense ante partum orificium uteri tactu explorans, ipsum in media pelvi invenit pendulum, sed loco capitis per substantiam cervicis uteri jam adtenuatam instar globuli duri sentiendi, solummodo substantiam quandam mollem tangit, ac deinde instante ipso

partu,

partu, cum explorabit quodnam membrum fetus in oſtio uteri hæreat, neque membrum quoddam, neque veſicam aqua diſtentam adtrectat, ſed ſolummodo maſſam illam mollem, informen & ſpongioſam. Aſt interea quoque inopinato profluvio ſanguinis corripitur gravida, quod quidem remittit, ſed iterum iterumque recurrit, & unaquaque vice fit vehementius, donec tandem maxima cum vehementia, & pro ratione dolorum per ſubſultus, ſanguis exſiliat. Dolores, qui in partubus naturalibus magis magisque augentur, in hoc minuuntur ea ratione, qua ſanguine uterus exhauritur, unde omni vi contractili privatur. Si itaque fato ſuo & naturæ auxilio committatur gravida, una cum fetu morti traditur.

§. XXVIII.

Cura *hujus* hæmorrhagiæ radicalis fruſtra per medicamenta interna exſpectatur. Si remedia dederis pellentia fetum, ut a nonnullis vocantur, ipſum morbum auxeris; ſi quis adſtringentibus corroborantibusque ei occurreret, tantum abeſt, ut ſolatii quicquam adferatur, quin potius, ſi etiam nil mali inde redundaret, tempus fruſtra terendo omnis ſpes gravidæ ſervandæ una cum ſanguine effugiat. Reſtat itaque optima methodus, quæ eſt extractio fetus, ut uterus contentis liberatus ſeſe contrahendo vaſa ſanguinem fundentia obturare poſſit.

§. XXIX.

Hoc ut mature fiat, antequam mater una cum fetu & ſanguine & viribus exhauſta ſit, ſvadet ipſa ratio, ſvadet ipſum periculum; quo modo vero peragatur, non omnes conveniunt auctores. *Deventer* o) commendat, ut placentæ, quam, ne hypothe-

o) l. c.

potheſis ejus de ſede placentæ in fundo uteri, quid jacturæ faceret, concipit a fundo ſolutam, delapſamque orificio per ſanguinem grumoſum coagulatumque adfixam eſſe, digitis tam patulum indetur foramen, ut ſatis liberam capiti infantis ſecundum naturam poſiti concedat viam, partusque naturæ committatur viribus, & ſi fetus ſitum habeat inidoneum, ut pedibus quæſitis extrahatur *p*). *Juſtina Siegmundin* in more habuit, ſtylo placentam perforare, ut aquæ effluerent, partumque naturæ commiſit. Verum equidem eſt, hæmorrhagiam hiſce modis, ut contendunt, paululum ſedari; aſt cum uterus perfecte ſeſe contrahere nequeat, hæmorrhagia repullulat, & dolores deficientes ex nimia jactura ſanguinis fetum expellere non valent, prætereaque placenta in orificio uteri relicta exitum infantis retardat. Ut in reliquis operationibus artis obſtetriciæ deſcribendis, ita & in hac reliquis felicior fuit Noſter *von Horne*, de cujus laude & exiſtimatione, quam & dexteritate & candore & ſcriptis ſuis elegantiſſimis apud omnes promeritus eſt, tantum abeſt, ut quicquam detrahere velim, quin potius ſcripta ejus plurimi faciam, imo admirer. In eo tamen mihi videtur aliquid paſſus eſſe humani, quod *q*) conſentit methodi Deventrianæ, nec non, ſi placenta exitui infantis ſit impedimento, quod ſvadet, ut placenta penitus eximatur. Si enim conſideretur, quod placenta eſt continua membranis, fetum circumdantibus, facile adparet, illam non poſſe eximi, niſi membranis ruptis aquæ effluant; inde vero facilitas fetum vertendi tanta celeritate, qua oportet, penitus eſſet ſublata. Præterea, quo plus placenta ab utero ſolveretur; eo vehementior foret hæmorrhagia & ex utero

p) l. c. *q*) l. c.

utero & ex placenta, quæque momento eſſet fetui lethalis.

§. XXX.

Optimus itaque modus & matri & fetui ſubveniendi, mihi videtur, qui traditur a Celeberrimo Dno *Fried*, Argentinenſium Practico feliciſſimo, cujus dexteritatem in re obſtetricia omnes norunt, & cujus informationem fideliſſimam, quoad vixero, ſemper exoſculabor. Hæc methodus id inprimis intendit, ut circulatio ſanguinis inter matrem & fetum, quantum fieri poteſt, conſervetur, & fetus maxima celeritate extrahatur. Ad hos ſcopos obtinendos ſvadet, ut obſtetricans, coagulis ſanguinis grumoſis e vagina exemtis, probe inquirat, cuinam lateri orificii uterini minus adnata ſit placenta, & ubi incipiat ſolvi ab utero? ibi itaque illam ab utero ſecernat, relinquens ab altera parte utero adnexam, ut deinde manu ſecundum præcepta obſtetricia per orificium uteri intruſa *r*), membranas

r) Cum ſanguinis, qui alioqnin has partes tenet diſtentas, turgidasque, jactura hoc caſu flaccidas, facileque dilatabiles illas reliquerit, non timemus membranas rumpere, quod aliis occaſionibus ob difficilem inde ſequentem partum non eſt ſvadendum. Plerique & auctores artis obſtetriciæ & Phyſiologi partum difficilem ex membranis præmature ruptis eo modo explicant, quod, aquis evacuatis diu ante partum, fetui per vias aridas ſit transeundum; Non vero conſiderant, haſce vias aſſiduo inungi muco copioſo ex cryptis cervicis uteri & ſinulis vaginæ proveniente, ut aquis cito exhalantibus non opus eſſet; Præterea que huic ariditati tollendæ ars certe ſupplere poſſet unguento quodam molliente. Ceteris rite ſe habentibus, partus ſit facillimus, quando vefica aquas continens urgentibus doloribus extra vulvam usque eſt protruſa; ſed per pores membranæ ne gutta quidem exſudat, qua viæ humectari poſſunt, contra in partu difficili

nas rumpat, moxque manum per foramen membranis factum inferat ac brachio id quasi obturet, quo aquæ non penitus evacuatæ versionem fetus facilitent; deinde, &, capite etiam prævio infantis, pedes ejus quærat, illosque ambos hac circumspectione arripiat, ut calces volæ manus jaceant adplicatæ, eo enim fit, ut fetus statim in ventrem vertatur, opusque non sit, postea corpus invertendo tempus terere. Tandemque ut fetus, prout docent regulæ artis obstetriciæ, summa, qua fieri potest, celeritate extrahatur. Quibus peractis etiam a secundinis liberetur puerpera.

---

cili membranæ fere statim rumpuntur, aquæque sub quovis dolore guttatim effluunt vias humectantes, & nihilominus partus sit difficilis. Unica opera, quam vesica non rupta in partu præstat, illaque optima, est quod undique æquabiliter os uteri ab urgente liquido distendit absque tanta difficultate, cum omnes partes dilatandi orificii uterini æquabili urgeantur pressione, quanta, evacuatis aquis, durum infantis caput. Præterea ex membranis sponte nimis cito ruptis semper prædicere possumus, præsertim si aquæ guttatim sub repetitis doloribus effluant, infantem non optimo situ esse locatum, partumque fieri difficilem.

CLXXIII.

CLXXIII.

METHODUS INVESTIGANDI VIRES MEDICAMENTORUM CHEMICA

QUAM

PRÆSIDE

D. D. CAR. LINNÆO

PRO GRADU DOCTORIS

proposuit

LAURENTIUS HIORTZBERG
Phil. Mag. & Chem. Doc.

Upsaliæ 1754. *Octobr.* 2.

---

§. I.

Machaoniæ artis alumnos diu multumque anxios fuisse de vera Toxicorum virtutem investigandi methodo, testatur Historia Medica. Varias quoque iniere vias ad hunc finem obtinendum; experientiam tamen optimam tam antiquiori quam recentiori ævo etiam hac in parte fuisse magistram, omnes fateri debent. Adeo enim sensibilis quorundam hominum est compages, ut vel memoria cogniti medicamenti desideratum excitet

citet effectum. Specificæ quoque quorundam morborum dantur medelæ, quarum operandi vires secundum mixtionem & compositionem explicare non valemus, sed iterata felici cum successu experientia illarum heroicam virtutem detexit. Novi denique morbi & causſæ morborum sæpe latitantes solam expostulant experientiam ad suam vim debellandam Hæc itaque sola licet primarium sit principium determinandi vires medicamentorum, per analogiam tamen, prudenter & sufficienter institutam, argumentando vel a fructificationis convenientia, vel a particularum minimarum & partium constituentium per odorem, saporem aliamque circumspecte institutam analysin chemicam investigatarum vel æquali, vel proportionata qualitate ac quantitate ad æqualem & proportionatum effectum, vires medicas quam maxime saltem conformes, si non omnino æquales, etiamnum sine experientia relative inveniri posse, non negari potest. Priorem methodum elegantissime expositam vides B. L. in Diss. de Viribus plantarum. Posteriorem præsenti hacce Opella tuorum oculorum aciei subjicere animus est.

§. II.

Toxica non semper quoad totam suam operantur substantiam, sed in quibusdam partibus virtutem illorum concentratam quasi esse, dudum experientia constitit: hinc & in partibus hisce investigandis totæ quantæ Medicorum versabantur curæ; probe scientes, si hasce virtute pollentes partes, illarumque denique partium mixtionem & proportionem ad invicem expiscari possent, distinctam demum nasci posse ideam de viribus Medicamentorum; Ad *Chemiam* itaque, utpote *scientiam principiorum corporum naturalium*, confugere necesse est. Chemici vero eorundem naturam investigantes, infinitam

finitam non ſolum ſimplicium medicamentorum, verum etiam ſingularum cujusque partium conſtituentium deprehenderunt diverſitatem, inſtituta comparatione per ſaporem, odorem & earundem ad invicem majorem vel minorem affinitatem: Quod nec mirandum, ut enim quodque viſcus animalis ſuum peculiarem parat & ſecernit liquorem, ita & nihil miri ſi diverſa ſimplicia non ſolum, ſed & diverſæ unius ejusdemque ſimplicis partes diverſos interdum virtute & mixtione ducunt ſuccos. Hinc ſingula breviſſime percurramus oportet, demonſtraturi, quantum Chemici, dictis viis incedendo, præſtare valeant in medicamentorum viribus enodandis.

Schol. Fateor equidem, non infrequentem eſſe illam plerorumque opinionem, ignem eſſe ſolum illud inſtrumentum activum, quo Chemici ad interiora naturæ adyta penetrant, præſertim cum & Helmontius ſe philoſophum per ignem appellari maluit. Verum ex definitione jamjam data prono fluit alveo, quocunque pacto ad cognitionem principiorum corporum naturalium pertingere poſſumus, Chemici nos fungi officio, ſive id fiat per *ignem*, *aërem* & *menſtrua*, ſive *odore* & *ſapore*.

§. III.

Odor volatilia ſupponit, ſive ejusmodi, quæ adeo laxam cum fixioribus, quibus adhærent, connexionem habent, ut ipſius aëris undulantis vel caloris moventis ope ſua deſerere queant habitacula, aëre itaque ut leviora, ita ſubtiliſſimam quoque partium compagem habeant neceſſe eſt. Hocce volatile, quod odoris eſt principium, ſibi ſemper ſimile eſſe videtur, & diverſitatem, quam ſentimus, odorum ex aliis admixtis naſci ſuſpicor partibus; idque tanto majori jure, quanto certius eſt,

ex binis omnium corporum primis ſtaminibus Inflammabili, ſcilicet, atque Terra, illud eſſe volatile, hanc natura ſua fixam. Hinc ſimpliciſſima illa & uniformis naturæ lex, quod æqualia æqualibus gaudeant, huic ratiocinio favere videtur, eo quod ſemper in oleo illo vel ſale oleoſo vegetabilium ſuam fixerit ſedem ſpiritus ille Rector Bœrhaavii. Unde quoque provenit, quod oleo & ſale ſpoliatæ plantæ inodoræ maneant. Hinc & quo intimius vel laxius hocce odoriferi principii vehiculum cum reliquis fixioribus eſt connexum, eo etiam facilius vel difficilius ſeparatur, & vel ſponte vel arte exagitatum auras petit. Ex aliis principio odorifero admixtis diverſitatem dependere odoris dixi. Fac itaque videamus licet, quo pacto ex diverſitate odoris ad diverſas corporum odoriferorum concludere valeamus partes, notiores odorum ſpecies percurrendo. *1:o Suaveolentem* & gratum perpetuo odorem fragrantes, aut oleo æthereo aut ſale volatili oleoſo pollent, prout quoque eorundem circumſpecte inſtitutæ analyſes demonſtrant. Ab acido quoque cum oleoſo ſpiritu certa proportione mixto, grati naſcuntur odores. E. g. oleum vitrioli cum ſpiritu Tartari. Ab alkali; Bilis enim loco tepido rancescit & tandem ambræ ſpirat odorem. cfr. Haller. Tom. I. Comm. in Bœrh. p. 355. In hiſce ſuaveolentibus odoris principium adeo juſta miſcela cum ſubtiliſſimo videtur eſſe mixtum oleo, ut narcotica fortiſſimi principii vis inde obtundatur, quod ulterius ex 2:o *Graveolenti odore* patet, ubi halituoſum illud phlogiſticum ſuperpondium quaſi habet. Inde provenit, quod ſpiritus vini vapores temulentiam inducant, Naphthæ vero Vitrioli grata aromatica fragrantia impleant auras. 3:o *Narcotico odore tetræ plantæ* oleo eſſentiali quoque carent, & odoriferum principium, fixioribus admixtum partibus, ſolitarium in aerem migrare, ex-

inde concludi posse videtur, quod hepar sulphuris pulverisatum, ac tenuiter in lato tigillo expansum, moderatissimo igne subdito, calcinatum, visibiles emittat vapores inflammabiles narcosin producentes. Non dissimilis oritur odor sub ipsa solutione martis. 4:o *Fœtidus & Putridus odor* phlogisticum illud tenui oleoso alkali volatili adhærente connexum esse experientia chemica demonstrat. 5:o *Fœtidus & alliaceus* odor producitur ex oleoso acido salis communis combinato. Quod patet ex phosphoro urinæ, nec non æquali odore adscendente a sale communi liquato, & cum carbonibus injectis phosphorescente, dum similis sentitur odor. Atque sic quoque experimentis institutis in cæteris intermediis odorum speciebus determinari potest illarum mixtio, licet non adhuc nec adeo ad liquidum deductæ sint omnes odorum species, nec earundem *mixtionis doctrina*, ut etiam quantitatem *principiorum* calculo determinari fas sit: plura forsan hac in nobili materia posterorum revelabit sollertia.

§. IV.

Atque sic detecta (§. III.) odoris indole ac natura, ordinis ratio exigit, ut simul paucis dispiciamus, quid inde ad odoriferorum vires ad corpus humanum mutandum concludere liceat. Odorifera ut subtilissima capitis spiracula intrant, in nervos quoque agere experimur, quatenus & animales & vitales motus fluidi nervei diriguntur regimine, & hi aut reficiuntur, aut narcosin incurrunt odoriferorum virtute. Et si conjecturæ admodum probabili locus relinquatur, valde hocce conforme est & odoriferorum & fluidi nervei indoli. Odoriferorum principium est omnium subtilissimum & actuosissimum. Fluidum illud nerveum est quoque omnium tenuissima sangvinis portio, in origine nervorum

vorum in cerebro a ſanguine ſecreta; & cum porro ſubtiliſſima ſanguinis pars ſita ſit in ſpiritu illius oleoſo, hinc nil miri, ſi univerſalis illa naturæ antea nominata lex eandem heic ludat ſcenam, ut ſcilicet ſimilia ſimilibus adſocientur. Hinc & opinor intelligi poſſe, tantas nervis, & per hos univerſo corpori, induci poſſe mutationes, ſi juſta hujus fluidi turbetur miſcela. Gratum itaque odorem fragrantia aromata vires reficere, motus ſuppreſſos redintegrare, jure ſuo debent, utpote propiori forſan mixtionis affinitate cum fluido nerveo juncta. Hinc narcotica ſtuporem inducunt, nimio phlogiſto nervis moleſta, atque ſic in cæteris. Hinc denique apparet, unde calefaciens aromatum virtus dependeat, ex principio, puta, illo odoriſero æthereo; idem enim eſt caloris ac odoris principium. Licet enim non omnia corpora phlogiſto turgentia calefaciant, ut metalla, olea expreſſa ex ſeminibus, cætera; in his enim phlogiſton adeo fixioribus irretitum eſt partibus, ut vim ſuam calefacientem exſerere nequeat. Unde quoque hæcce olea nullum ſpargunt odorem. Sed olea ætherea propria odoriferi principii vehicula eſſe videntur, quatenus tenuiores habent partes, phlogiſti ope volatiles & activas, unde &, quo magis odorifera corpora, eo majorem largiuntur olei ætherei copiam, & contra, quare & hæcce olea maxime calefaciunt.

§. V.

Sed ad ſaporem conſiderandum noſtra jam deflectit attentio, quippe cujus ope magis determinate in apricum ponere poſſumus partes conſtituentes. In limine itaque notandum venit, nullum ſaporem eſſe ſine ſale, & contra; hinc ubi ſapor, ibi ſal, & ubi ſal, ibi ſapor; omni namque ſale e corpore educto, omnis quoque perit ſapor. Sal itaque

que est universale omnis saporis principium. Fatendum quidem est, nullum dari corpus naturale, præter puram terram, vel aquam, omni carens sapore, sed talis terra & aqua raræ in naturali hocce systemate sunt aves. Unde liquet, quam late pateat saporis doctrina. Præcipuos itaque sapores percurrere juvabit, ut inde appareat, quantum ex sapore prognostica medicamentorum cognitio, qua illorum vires, haberi possit. Notissimi sapores sequentes sunt, *acidum*, puta, *dulcem*, *lixiviosum*, *salsum*, *austerum*, *acrem*, *aromaticum*, *pinguem*, *nauseosum*. Hi, qua principium sapidum, scilicet sal, conveniunt omnes, sed aliæ admixtæ partes differentem cuique sapori dant sensibilem characterem. Videamus itaque oportet, qualis ad unumquemque saporem requiratur mixtio. *Acidus* simplicissimus est sapor, sal enim primigenium acidæ est naturæ, & acidum indicat. Ad *Dulcem* requiritur, ut acidum sit oleoso mixtum, hinc quoque saccharum, mel, manna aliaque dulcia dant spiritum acidum & oleum; gratus itaque & non pungens hic est sapor, quatenus salinum est oleo involutum. *Lixiviosus*, præsentiam salis alkalini arguit. *Salsus*, quod acidum alkalino sale sit saturatum. *Amarus* indicat salinum simplex quoddam aut mediæ naturæ prædominante oleoso esse combinatum; ut ex saponibus, bile, aqua maris mortui, patet. *Austerum* nasci experientia comprobat, quando sal acidum cum particulis terreis est unitum, ut ex aluminis, vitrioli, solutionibus evidens est. Ex *Acri pungente* sapore concluditur ad sal volatile plerumque alcalinum, quo magis pungens & urens adest sapor, eo minus olei essentialis, eo magis vero in sale volatili concentrata est ignea materia. *Aromaticus* sapor docet sal volatile alcalinæ vel acidæ naturæ cum oleo essentiali esse mixtum, majori minorive copia, prout magis vel minus urens aut resino-

resinosus est. *Pinguis* oleosi vel pinguedinis cujusdam præsentiam declarat. *Nauseosum* natura rejicit & respuit, ut sensibile nervosum systema nimis irritantem.

§. VI.

Ad vires sapidorum depingendas ordine jam ducimur. Antea (§. V.) indigitavimus, omnem saporem præsupponere salinum; ut itaque salium vis eo clarior evadat, demus etiam decet generalem chemicam, hoc est, analyticam salis ideam. Sal est corpus sapidum, in aqua solubile, ex aqua & terra tenuissima intima unione inter se combinatis constans. Ejusmodi simplicem mixtionem præcipue habet sal primigenium, ex quo omnia reliqua salia suos derivant natales, sive sint acida, sive alkalina, sive mediæ naturæ. Ex hacce brevi quidem sed distincta salium generali idea sequentia emanant corollaria. 1:o Aquam in caussa esse, quod terra aut in illa soluta, aut intime cum illa unita, una cum illa in subtilissimos se insinuare queat corporum meandros. 2:o Terream salium portionem præcipuam esse, quæ papillas nerveas & fibras titillat & irritat. 3:o Quo simpliciora salia, & minus oleosi vel terrestris continentia, eo fortiora; eo enim intimior aquæ cum terra unio, & tanto faciliorem transitum aqua terræ parat, unde quoque acidum alkalino sale fortius, & hoc denique sale neutro. 4:o Quatenus ex aqua & terra compositum est sal, hinc & in fluida & in solida corporis humani agere debet; ad utraque enim, qua principiorum analogiam, habeat, necesse est, vim attractivam, cujus quoque thesis veritatem experientia demonstrat. Sed hæc generaliter de salibus dicta jam sunto, ad speciales jam sapores revertamur. *Acida* quod concernit salia, diversas & certo respectu fere contrarias produnt vires, pro-

ut

ut ex diversis desumuntur regnis. Sed nihil miri, maxima quoque qua mixtionem illa intercedit differentia. *Acida* enim *Regni Vegetabilis* præter corpus acidorum proprium, prout loquitur Guerike, etiam maxime sunt diluta aqua, & oleosum quoddam continent acidas spiculas aliquatenus involvens quasi, hinc & hæcce magis amica sunt corpori humano, & sanguinem solvendo illiusque oleosas partes attrahendo, resolventem & antiphlogisticam edunt virtutem; ad alkali quoque quatenus magnam habent vim attractivam, hinc & alkalinam sanguinis diathesin corrigunt. *Acida* vero *mineralia* idem quidem continent principium sulinum, sed magis purum, concentratum, & cum mineralibus terris combinatum, hinc quoque magis corrosivum, quare & hæcce solida destruunt, & fluida congrumant, oleosas partes maxima cum vehementia attrahendo & coagulando, unde & hæmorrhagias sistunt. Hoc tamen de concentratis valet, at si diluuntur magna copia aquæ, corrosivitatem suam eadem proportione perdunt, vel si edulcorantur spiritu vini, saponaceam & aromaticam induunt naturam. *Alkalina lixiviosa* magnam habent ad acidum vim attractivam, unde antacida, & quatenus mucilaginosorum sunt menstrua, hinc viscosas saburras solvunt, unde attenuantia, stimulantia & abstergentia sunt. *Salia media* esse attenuantia & resolventia per se patet. *Dulcia* quatenus & oleosum & salinum suo includunt gremio, hinc & ex utriusque participant natura & virtute. Unde quoque acido suo attenuant, ac resolvunt, oleoso vero emolliunt & lubricant. Nec stimulando agunt, qua salinum suum, cum illud oleo sit irretitum, immo potius stimulantia acria oleoso suo involvunt. *Amara* ex oleo & sale conflata maximam cum bile habent affinitatem, hinc & ipsius sustinent vices, eo quod mucosam & tenacem

nacem materiam a parietibus vaſorum ſaponacea ſua virtute ſeparant, fibras ventriculi & inteſtinorum relaxatas coadunant, & ſtimulatione majorem humorum adfluxum excitant. Maxime quoque antiſeptica ſunt, quatenus acido ſuo alkaleſcentiam putredinoſam deſtruunt, & tonica ſua virtute fibras putredinoſæ ſolutioni proximas conſolidant, firmant. *Auſtera* quoad aciditatem ſuam particulas oleoſas involvunt, terreas vero ſuas partes fibris coadunandis & adſtringendis impendunt. *Acria* & in fluida &, in ſolida agunt ſtimulando, viſcoſa quoque reſolvunt ac adtenuant, & ſi cum oleoſis conſociantur, calorem quoque exaugent. *Aromatica* qua ſalinum ſuum ſtimulant, ratione vero olei, cum ſpirituoſa activa parte combinati, partes oleoſas in ſanguine augendo, ac ſpirituum vitalium motum promovendo, analeptica, calefacientia ac diaphoretica ſunt, quo plus acredinis continent eo magis ſtimulantia.

§. VII.

Ex ſapore & odore ad vires Toxicorum quod concludi poſſit, jam paucis demonſtravimus. Sed ſi præcedentes §. §. penitiori ſcrutinio ſubjiciantur, patebit, quod ſapor & odor in ſe pallidam nimis lucem in hanc rem fundant, niſi ſimul Theoria & Empiria chemica inſtillaret, quid in corporibus odoriferis & ſapidis ſit, quod obſervatum edit effectum, vel qualis eorundem mixtio eſſe debeat, ut hunc & non alium exſerant odorem vel ſaporem. Eſt itaque analyſis chemica fundamentum, quo nititur Theoria Medicamentorum qua eorundem vires. Porro quatenus is diſtinctam demum habet ideam quantitatis cujusdam effectus, qui primo rite novit cauſſas agentes, non ſolum qua totalem ſuam materialem naturam, ſed & qua unius cujusque partis totius mixtionem & indolem; deinde

inde harum harmoniam inter se & connexionem cum effectu; & postremo causarum agentium quantitatem. *Omnia* hæc detegit Chemia: primum & ultimum ex analysi medicamentorum instituta. Secundum noscitur ex theoria affinitatis corporum, experimentis chemicis eruenda. Hinc demum patet, præter experientiam nullam dari adeo certam methodum, rationes & quantitates effectuum determinandi, adhuc cognitam, ac chemicam. Sed hoc adeo evidens est, ut qui ideam Chemiæ antea (§. II.) datam animo volvit, fateatur oportet, hoc Chemiæ esse officium; sed dolendum, quod huic suo officio, qua regnum præcipue vegetabile, exacte facere nequeat satis, quatenus ignis, primarium ipsius instrumentum, corporum partes ita ipsa sub analysi mutat, ut multum separatæ a naturali sua discrepent indole, hoc est, ut potius ignis fœtus esse, quam vere educta chemica, cogitari possit. Sed licet sufficienter hoc in negotio solidissima in dissertatione: *an & quousque Chemia resolvat corpora &c.* nobis otium fecerit *Celeb. Chemiæ Prof. D. D. Gotsch. Wallerius*, paucas tamen pharmaceuticas cautelas & regulas huic opellæ inserere, officii & materiæ, quam pertexendam assumsimus, ratio expostulat.

§. VIII.

Instrumenta Chemiæ activa tria solum esse notum est, *ignem*, *aërem* & *menstrua*, nec pluribus natura vel ars indiget ad diacrises vel syncrises instituendas. Hæcce licet fortissima sint, nutui tamen applicantis obsecundare debent, prout debilioribus vel fortioribus indiget cuneis ad corporum principia educenda. Rite vero administrantur hæcce instrumenta, si sequentes observentur regulæ. 1:o cavendum, ne odor vel sapor Medicamentorum per analysin chemicam pereant vel mutentur. Hinc 2:o volatilitatem vel fixitatem partium constituen-

tium ex Theoria principiorum probe cognitam habeat neceſſe eſt. 3:o Affinitas corporum ſeu vis eorundem attractiva ad invicem & ad menſtruum ſolvens nota eſſe debet. Haece enim regula omnium corporum per menſtrua reſolutio & compoſitio nititur. Hiſce univerſalibus regulis ſequentes ſpecialiores fundantur. 1:o Si adſit aliquod ſubjectum vegetabile odoriferum, ex antecedentibus (§. III.) patet, vim ipſius quærendam eſſe in oleo ejus æthereo, quod duplici via ſeparari poteſt, aut ſi cum affuſa aqua leniſſima inſtituatur deſtillatio, vel ſi admodum volatile illud odoriferum ſit, adornatur deſtillatio, cum ſpiritu vini. 2:o Si ſubjectum non eſt odoriferum, ſed ſapidum, inde jure concluditur ad ſalinum aliquod, cujuscunque demum generis fuerit, quod conſequenter aqua eſt ſolubile, adeoque ſucco expreſſo, vel ſubjecto cum aqua triturato, ſal eſſentiale ordinaria methodo ſine igne exinde præparari poteſt. 3:o Si reſinoſum planta edit ſaporem, reſinæ vel balſami ſubjectum ſpondet proventum, unde quatenus ſpiritus vini horum corporum proprium eſt menſtruum, cum eo itaque inſtituatur extractio, & paretur Eſſentia, Tinctura &c. 4:o Si oleoſus adeſt ſapor absque tamen odore, oleum inde cum ſucceſſu exprimi poteſt. 5:o Si gummoſum cum reſinoſo junctum detegit ſapor, ſpiritus vini aqua probe dilutus menſtrui fungitur officio, quo in deſiderata forma extrahi poteſt gummoſa, reſinoſa aut reſinoſo gummoſa ſubſtantia. Aut ſi præoptetur reſina a gummoſa parte ſeparata, aut primo cum ſpiritu vini rectificato, & dein cum aqua, vel vice verſa, inſtitui debet extractio, prout reſina vel gummi ſuperpondium habet. Haſce regulas ſi obſervaſſent Pariſienſes æque ac Kœnig & Wedel aliique, nullus dubito, quin omnes deſiiſſent querelæ de ſimilitudine eductorum ex omnibus vegetabilium ſpeciebus.

CLXXIV.

CLXXIV.

CONSECTARIA ELECTRICO-MEDICA

PRÆSIDE

D. D. Car. Linnæo

PRO GRADU DOCTORIS

proposita a

PETRO ZETZELL

Sudercopia O-Gotho.

Upsaliæ 1754. *Octobr.* 12.

Neminem fugit, FR. PIVATI, Jurisconsultum Venetum, primum fuisse, qui morborum per electricitatem curandorum fecerit pericula: quod institutum tam prospere cessit, ut maximam omnibus moverit admirationem. Literis enim annis MDCCXLVII & XLIX clarus consignavit auctor, vim electricam in tubis vitreis balsamo quodam obductis excitatam lenimen adtulisse podagræ, arthritidi, paralysi aliisque hujusmodi morbis: Immo, quod singulare plane & inauditum, tradidit etiam exempla solutæ alvi, excitati sudoris & motæ salivationis, actis tantummodo in motum vi electrica effluviis medicaminum. Tam mirabilem electricitatis virtutem haud multo post novis etiam

D. JOSEPHUS VERATTI partim confirmavit partim auxit experimentis: quibus factis, accidit ut cupiditas novam experiundi medicinam omnium fere ceperit animos. Paucis igitur post videre licuit hinc inde per Europam maximi nominis Physicos experimentis hisce occupatos instituendis; at non omnes pari cum successu. Electrisatione sanarunt quidem D. JALLABERT paralysin quandam brachii; *Nobiliss.* D. *de* SAUVAGES hemiplegiam, rheumatismum, doloremque ischiadicum; ut & D. BIANCHI morbos paralyseos atque rheumatismi. Fuere tamen alii, qui frustra omne adhibuerunt studium: immo, ut dicitur, quorum tentamina infaustos habuere exitus. Hinc tanta orta est opinionum varietas atque sermonum, ut quilibet nescius fuerit, quid de nova teneret re statueretque.

Hæc erat facies medicinæ electricæ, cum ante triennium primus aggressus est *Celeb. Astron. Prof.* D. MART. STRÖMER aliquot inter nos hujus generis instituere experimenta. Quorum successu aliquali animadverso, factum est opera *Nobilissimorum Virorum D:ni Archiatri* ROSE'N & D. STRÖMER, ut Ego constitutus sim, qui in novam inquirerem medendi rationem. Ita jam per biennium occasionem habui, in variis subjectis & diversis morbis quotidie per horas aliquot electricam in Nosocomio Upsalienſi experiundi medicinam; qualem vero hanc invenerim, in animo jam mihi est Tecum, B. L. pauciſſimis communicare, casibus interea in medio relictis, donec Ephemerides prodeant Upsalienses.

AMAUROSIS.

In duobus ægris frustra scintillas ex oculorum viciniis eductas fuisse; frustra quoque commotionem

nem adhibitam vidimus electricam, ut vix aliquid hoc in morbo ab electricitate sperare liceat.

ARTHRITIS.

Ægritudines articulorum animadvertimus quidem scintillis sæpe cessisse electricis; dolendum vero, materiam repelli arthriticam, alia intus excitantem mala. Sic crebra animadversione perspeximus, sub usu curæ electricæ, dolores capitis fugaces, vertiginem, nauseam atque tormina ventris ægros afflixisse, quæ incommoda, articulos iterum repetente materia morbi, conquievere. Deprehensi quidem sunt hac sub cura, qui vesicam sæpius levare coacti sunt, & quorum corpora nocturno manarunt sudore, unde spes animum subiit, longinquitate temporis & usu frequenti malum longe pertinacissimum minui tandem atque molliri posse; verum enim vero post parvam temporis intercapedinem ægros iisdem, ut antea, malis distineri & divelli tristes sumus experti. Non obscurum igitur est materiam arthriticam ictus elusisse electricos.

CEPHALÆA & HEMICRANIA.

In morbo hoc chronico, a materia catarrhalis vel rheumatici generis orto, experimenta cum scintillis instituentes, animadvertimus dolorem quidem nonnihil leniri & dissipari; absoluta vero cura, eadem, qua antea, acerbitate urgere: cui incommodo ut occurreremus, simul in usum vocavimus medicamenta interne sumenda, præscribendo ægris sub usu electricitatis decoctum quoddam sanguinem mundificans, vel Electuarium purificans *Nobil. Dni Arch.* ROSEN, & sic constantiorem nobis præstitit usum medicina hæc externa resolvens.

CONTRACTURA.

Nonnullis hoc in morbo utilitati fuit electricitas, ut haud indigna ſit, cujus periculum faciant ægri. Quendam enim vidimus per plures annos a materia catarrhali membris captum, uſu tandem aſſurrexiſſe electricitatis, & aliquot baculo jam diu innitentibus ambulationem conſpeximus reſtitutam: immo, mirum dictu, ſemel videre licuit in contractura quadam genu rheumatica jam quinquennii, membrum, bis tantum electricitate perculſum, ad ſpatium unius palmæ explicatum. In pravitate vero hac articulorum curanda perquam neceſſarium eſt, diligenter exquirere motus membri deficientes, ut pateſcat, quinam muſculi jam morbo laborent. Illi ſcintillis, non vero commotione Muſchenbrœkiana, convellantur electricis, ſtudioſe ſemper evitando punctiones antagoniſtarum vi prævalentium. Hi potius vapori aquæ calidæ per horas aliquot quotidie exponi, & tempore intermedio pannis laneis unguento emolliente vel oleo quodam expreſſo madidis, foveri poſſunt, imponendo hiſce dein veſicam, cum lateribus membro adaptatis & calefactis. Obſervandum vero in malo hoc rheumatici vel arthritici generis, initio curationis implenda eſſe vaſa ægrotantis liquoribus morbo congruis, ne in motum acta materia morbi in nobiliores projiciatur partes.

COPHOSIS & SYRIGMUS.

Scintillæ electricæ ſtylo metallico materia per ſe electrica veſtito in meatum deductæ auditorium, irritatione ſua ſolvunt cerumen & pus ſtagnans, ut & in ſurditate a febribus, metaſtaſin digerunt. Quidquid vero in cophoſi catarrhali, nativa, & quæ ab aëre humido, nec non in ſyrigmo efficere

efficere visæ sint, solatium fluxum & evanidum fuit.

EPILEPSIA.

Epilepsiam hæreditariam, ut & quæ a timore, nec sustulit, nec exacerbavit electricitas.

FURUNCULUS.

Scintillæ electricæ digerunt.

GANGLION.

In tumoribus hujus generis resolvendis tria capta experimenta belle cecidere.

HYSTERIA.

Flammulas electricas frustra experiuntur hystericæ.

ISCHIAS.

Aliis in hoc malo contigit sub usu electricitatis doloris lenimen, confecta curatione recrudescentis; aliis ne quidem hoc boni commodique evenit; aliis prima quidem satis prospera fuere, sed post aliquot dies conversa est vis morbi ad intestina, unde ventris tormina assidua & quam maxime molesta. Sic quomodocunque sese res habet, victoria certaminis semper penes morbum.

ODONTALGIA.

In odontalgia, quæ dicitur, cariosa, catarrhali, arthritica & scorbutica, homines numero insignes, etiam gravidæ, igneam hanc experti sunt curam. Plerisque contingit levamen doloris; pauci vero hoc bono diu perfruuntur; redit enim plerum-

rumque acerbitas mali vel intra nycthemeron, & jam per aliquot horas, inprimis veſpertinas, gravius affligens, ſponte dein decedit; vel diebus ſequentibus, dolor dentes iterum ſed mitius fodit, repetito electricitatis uſu profligandus. Circa curam obſervare licet, quod ſcintillæ electricæ, mediante ſtylo metallico, continuo communicari ſoleant rivulo cum dente afflicto, ut tremulus, qui ſic excitatur, motus æqualis ſuſtineatur usque ad perfectam ceſſationem doloris.

OBSTIPATIO.

In obſtipatione alvi ſæpius experimenta repetivimus Italica, & quidem cum variis haud parvi ponderis pharmacis, e. gr. jalappa, ſcammonio & rheo; at ſemper oleum & operam vidimus perditam.

PARALYSIS.

Fruſtra tam in hemiplegia, quam in paralyſi commotionem adhibuimus Lugdunenſem; fruſtra quoque ſcintillis paralyticos convulſimus muſculos; tandem vero caſu hinc inde ſupra paralyticam partem ſpatiola invenimus tam ſenſibilia, ut actio ſcintillarum vix tolerari potuerit. Quibus animadverſis, hæc unice loca ſcintillis aduſſimus electricis, & ſic haud ita pridem in cive upſaljenſi paralyſin quandam manus perfecte ſolutam vidimus. Liceat igitur hoc in morbo ſuſpendere judicium, donec anſa detur novum repetendi experimentum.

QVARTANA.

Ex paucis, quæ capere contigit, experimentis, nihil certi concludi poteſt. Bis tamen vidimus

mus morbum hunc lenitum in periodicas ſolum tenſiones mutari, etiam ſemel expugnatas.

QVOTIDIANA.

Duo ſolum electricitatem hoc in morbo experti ſunt, qui per totum corpus ſcintillis percutiebantur electricis. In altero febris ad tempus fugata; in altero vero vis morbi in tertianam converſa eſt non ſublatam. Dubium igitur electricitas febrium intermittentium eſt remedium, nec adhuc ſatis exploratum.

RHEUMATISMUS.

Adductum de malo iſchiadico judicium hic etiam valet.

Coronidis loco hiſce ſequentia ſubnectere liceat: 1. In febribus intermittentibus nihil valet commotio electrica. 2. In rheumaticis, arthriticis & ſideratoriis morbis rarior ſub uſu electricitatis eſt allevatio ſine indiciis retrogreſſus cujusdam materiæ. 3. Magna inter morbos ſideratorios & rheumaticos adeſt convenientia; vidimus enim rheumatismum cum ſurditate, tremore, decubitu & mobilitate difficili unius ejusdemque lateris, nec non hemiplegiam, ubi ſcintillæ electricæ hinc inde ſolito majorem excitarunt dolorem, & in qua reſtituto ad aliquam partem brachii paralytici motui ſucceſſit ophthalmia, qua frigidis ab ægro repreſſa, eadem iterum cepit brachium imbecillitas. 4. In paralyſi quadam digitorum annularis & auricularis, ſemel vidi ſcintillarum ex parte affecta eductionem non ſucceſſiſſe. 5. Omnibus ſub uſu electricitatis continuato accidunt tarditas alvi & aucta ciborum cupiditas, ſine dubio ex incremento perſpirationis. 6. Eductis ſcintillis ex parotidibus, ut & ex

partibus oris internis, inprimis linguæ, augentur ſputa. 7. Si in odontalgia educantur ſcintillæ ex ſtylo metallico, nervis portionis duræ ſeptimi paris ad auriculam impoſito, queruntur ægri ad quamlibet emicantem flammulam de acutiſſima in affli-ćto dente punctione, ut bis vidimus. 8. Serpentes commotione electrica percuſſi moriuntur cum ſumma poſt lethiferum ictum corporis rigiditate.

CLXXV.

CLXXV.

PULSUS INTERMITTENS

SUB PRÆSIDIO

D. D. CAR. LINNÆI

PRO GRADU DOCTORIS

propositus

ab

ANDREA WÅHLIN

Ostro-Gothô.

Upsaliæ 1756. *Maji* 5.

---

§. I.

Principium vitale corporis humani, quod sanguine continetur, eo diligentius observare Medicos oportet, illiusque naturam & varias vicissitudines eo accuratius dignoscere, quo majori cum fiducia ac fructu mortalibus inservituri sint, si ista noverint. Nisi enim recte judicetur, in casu quovis obvio, de humanæ vitæ indice illa & conservatrice caussa, gradus majores minoresve, quibus læsæ fuerint functiones vitales, naturales, & animales, quæque inde metuantur machinæ universo pericula, definire non licebit. Hinc in Diagnosticis & Prognosticis vix ulla excellentior & magis necessa-

neceſſaria doctrina, quam quæ ſanguinis, e corde naturaliter exundantis, intervalla, hoc eſt, *Pulſus* attingit.

Etenim Medicus, ſiquidem morbo unicuique fortiter iturus ſit obviam, in hujus perveſtiganda indole ſtudioſe advertet animum ad omnia, quæ ſub ipſo morbo inciderint, phænomena ſibi invicem ſuccedentia, & quo potiſſimum tempore exiſtant, indagabit; contuebitur quoque molimina, quibus niti ſoleat natura ipſa, ut ſe malo liberet. Tum quod maximi momenti erit, ex ſingulis, quæ accidere ægroto ſenſerit, colliget omnino & præcipiet morbi exitum, ut quantum quidem licuerit, intelligat, utrùm medelam admittat morbus, an in alium, aut mortem quin deſinat, impediri omnino non poſſit.

Quis autem hæc eruet ſatis & pervidebit, niſi indicia eſſentialia & ſymptomatica tum cetera, tum quæ *Pulſu* offeruntur, agnoverit recte & examinaverit? Immo vero e ſanguine, illiusque per humanum corpus diſtributione varia, pendent ſecretiones omnes & pleræque excretiones; ſanguinis poſthabita ratione nemo pondus fluidorum recte æſtimaverit, quod tamen ſano in homine prævalere debere ponderi ſolidorum experimentis *Keillii*, Kockii, Gorteri, Geoffroi aliorumque dudum ſtabilitum eſt; univerſæ denique nutritionis cognitio, quæque inde ad tuendam ſanitatem elicientur regulæ, ita fundantur iis, quæ de ſanguine docet Medicina, ut in ſervanda valetudine haud minus juvaverit *Pulſuum* vices noſſe, quam in reſtituenda, ubi affiicta fuerit. Itaque ut circumforaneorum turbam agyrtarum prætéream, haud excuſaverim levitatem quorundam Medicinæ factitantium, qui ad ægrotorum lectos progreſſi, carpum quidem tangunt,

gunt, at tam levi & festinanti digito, ut vix duos ictus exspectent, hinecque ubi nomen solum morbi audiverint, aut unum alterumque symptoma, quod ægrotus narraverit, statim sese ad præscribenda medicamenta conferunt. Hæc certe, si quæ alia, dissolutior properatio Medicum arguit ab sua arte nimis tenuiter instructum, quantumque adhuc absit a prudentia, quæ peritum atque pium deceat, certissime ostendit. Instituatur, fas est, in ægroto quovis obvio sollertissimum examen indicantium, ex iis judicia formentur aut certa aut maxime saltem probabilia, eoque consilio non in uno tantum carpo tangatur pulsus, sed in utroque, immo in temporibus etiam, ne vitium particulare decipiat, ut adesse credatur vitium universi corporis; præsertim quum differre in utroque brachio pulsus possit, uti in Hemiplegia, in motibus spasmodicis vagis, inque Arthritide vaga observavit Frid. Hoffmannus, in Sauciatis Rajgerus, in aliis alii; tangatur denique mora diuturniori, quum sæpenumero post decem demum vibrationes inæqualitas vel intermissio pulsus percipiatur. Scilicet rem haud levis esse operæ pulsus differentias rite detegere, & indicationes veras inde formare, evincit maxima ejus diversitas in ætate hominum varia, in sexu, in habitu corporis ad solida & fluida relato, hujusque universi temperamento; evincit discrepantia, quæ cernitur in diversis regionibus & anni tempestatibus, in motu corporis & quiete, in mutato victu, in vigilia & somno affectibusque animi; evincit denique morborum vix numeranda multitudo, quorum pro diversis temporibus & statu, diversum quoque fore pulsum necesse est. Enimvero quo plures rationes fuerint, ad quas in judicio ex indicio pulsus formando attendat Medicus, ne vitium subreptionis committat, & suis ægrotique votis excidat, eo utilius etiam erit & magis necessarium,

rium, quantum fieri unquam poſſit, accuratiſſime tenere, quidquid ſentiendum pulſus exhibeat in ſano primum, dein ægrotante pariter in corpore. Ego igitur, quandoquidem momentaneam quietem vibrationum, hoc eſt eam ſpeciem pulſus, quæ uno ore apud Medicos *Intermittens* vocatur, peſſimi ominis a plerisque haberi ſolitam, conſiderare tantum in præſenti cogitaverim, cauſſas illius, quotquot eſſe poſſint, aut hucusque ſaltem Medicis innotuerint, quidque certi de illarum præſentia in Diagnoſticis, de periculis, quæ portendant, in Prognoſticis, cum medela adverſus ſingulas efficaci & propria, pro modulo virium exponam. Atque hoc quidem ut eo perſequar diſtinctius & felicius, præmittam ea, ſine quibus intelligi cetera non poſſint, principiorumque loco de ſanguine quædam, motu ejus & inde oriundo *pulſu* dicam breviter, ut qui *intermittens* appellatur, hujusque cauſſæ dein patere queant melius.

§. II.

In corporibus quia mutatio omnino nulla ſine motu poteſt exiſtere, ad principium quoque vitale humani corporis motus pertinebit, utpote cui excitando ſuſtinendoque nervos omnes humanæ machinæ atque vires Supremus Auctor deſtinavit. Hinc ergo derivandum mechaniſmum phyſicum ad vitam humanam permultum conferre, non veritates modo docent Mechanicæ, Phyſicæ, Anatomicæ hisque nixæ Phyſiologicæ, ſed & variatio, quæ externis a rebus, ubi his utimur ad tuendam vitam, oritur in œconomia univerſa functionum vitalium, naturalium & animalium, ipſaque firmat neceſſitas, qua cogimur alimentis reſarcire quidquid mutua agitatio partium corpori veluti detraxerit. Eſt autem fluidorum, quæ per ſolidorum canaliculos

motu

motu transmittuntur in humano corpore, nobiliſſimum & latiſſime penetrans illud, quod *ſanguinem* appellamus. Hic liquor homogeneus eſſe facile crederetur, niſi compoſitum conſtaret partibus maxime diverſis, aqua, terra, oleo, ſale & aëre non elaſtico, quæ partes ſingulæ ut miſceantur & implicentur invicem, actio viſcerum, ſal, calor & liquoris ipſius circumlati motus efficit. Vaſa, quæ liquorem hunc rubicundum continent, duplicis ſunt generis, *arteriæ* nempe atque *venæ*. In utrisque movetur, non vi modo cordis & arteriarum, ſed & vi forte quadam propria, tum etiam actione partim adjacentium muſculorum, ut in venis, partim aëris, ut in pulmone. Namque ſanguine refertum cor, vi ſua eum protrudit in contigua ſibi arteriosa vaſa, ita quidem, ut ſicubi ſanguinis columna totam oppleverit arteriæ diametrum, ſtringatur cordis ventriculus. Et quia mox urgent & impellunt porro undæ ſanguineæ protruſæ, tum in axi tum in perimetro arteriæ, hujus ad parietes niſus illarum verget. Impulſui cedunt illi, brevi licet, quum ſint elaſtici, priſtinum ſtatum recuperaturi; nam quoties vis liquorem quemcumque movens ſuperat vim qua reſiſtunt vaſa, toties vel frangi vel cedere debent horum parietes. Hæc arteriarum dilatatio, vel earum expanſio ultra diametrum naturalem, *pulſus* nuncupatur, nec eſſe poteſt niſi in arteriis, quippe in quibus ſolis parietes nunc expandi videamus, nunc rurſus contrahi. Propelluntur autem, ob materiæ intertiam & cauſſas reliquas, undæ illæ ſanguineæ motu inæquali, ita ut majori impetu feratur columna ſanguinis, quæ vim cordis nuper paſſa eſt, quam quæ remotior a corde diſceſſit, & deſinat tandem pulſus omnis, ubi eo usque pervenerunt undæ ſanguineæ, ut communicatam ſecum vim actione cordis fere amittant. Cauſſam igitur *pulſus* primariam in corde ponimus,

quum-

quumque nulla dilatatio fiat nisi prægressa contractione, immota statutum lege credamus, ut Systolen excipiat Diastole, vel ambarum potius una adjuvet excitetque alteram, prout actionis & reactionis, per naturam universam corporum, mutua vis est & alternans opera. *Pulsus* species hoic percensere supervacaneum foret, quum in Scriptis Medicorum tantum non omnium enumeratæ habeantur. Id unice caveamus, ne in speciebus constituendis nimii dilabamur in tricas, e quibus nullus ad postremum superfit exitus.

§. III.

Dum intra tempus, quo arteriæ dilatari solent naturaliter, nulla percipitur pulsatio, *intermissus pulsus* evenit, estque hæc vel major vel minor, prout caussæ *impeditæ circulationis sangvinis* vel fortiores vel leviores fuerint. Ubi vero interceptus quiete pulsus existimabitur, necesse est, ut nec contrahantur arteriæ, nec dilatentur; nam si systole existeret, necessario etiam sequeretur diastole (§. II.), & quia *pulsus* oritur actione cordis & arteriarum, qua liquidum sanguineum circumducitur, caussa quiescentis pulsus aut in vitio cordis & arteriarum, caussarumve reliquarum motricium, aut in vitio sanguinis, considerati ut liquor, qui movebitur, invenietur. Contineat ergo

PRIMA CLASSIS *caussas intermissionis pulsus, e vitio cordis repetendas, quod adest, ubi Systole ejus quadam ex caussa impeditur.*

1.) Cor, uti musculus, agendi vim suam debet *nervis*. Hi ergo simulac læsi vel tantillum fuerint, ad cor usque nævi contagionem propagabunt. Possunt autem illi 1.) vel paralytici evadere, vel tu-

more

more quodam *premi*, vel pathematibus affici, ita ut fluidum eorum subtilissimum eo momento, quo systole cordis perageretur, vel prorsus non, vel minus sufficienter in cor influat, hincque fiat, ut undam e ventriculo suo cor tanto impetu non propellat, quo arteriæ ultra diametrum naturalem expansio sequatur. Id evenit in animi affectibus, ejus deliquiis, palpitatione cordis, convulsionibus & morti propinquis, ubi cor singulis ictibus non valet expellere sanguinem cavis suis contentum. 2.) Spasmos quoque quam sæpissime excitant, qui & mirifice cordis motum turbatum reddunt, uti latius diducto malo per consensum partium in Hypochondriacis, Hystericis & reliquis Spasmo afflictis optime observatur.

2.) Remoram quoque liberi motus cordis objicit *concretio ejus cum pericardio*, ex defectu halitus, in interna pericardii & externa cordis superficie, per hiantia arteriolarum oscula, exsudantis, ad frictionem faciliorem reddendam, & concretionem illam impediendam. Cujusmodi casus haud rari sunt apud Anatomicos. *Freind* & *Lowerus* in plurimis, qui intermittente pulsu laborarunt, hanc causam post mortem eorum invenerunt. *Peyerus* in Parerg. Anat. III. p. 198. & *Malpighius* de Mort. subit. Libr. II. Obs. 4. in iis, qui post gravissimas oppressiones pectoris & palpitationes cordis obierunt, pericardia cordibus affixa observarunt. *Cheselden* in phthisico, *Lapeyronie* in hydrophobo & *Senac* in pleuritide mortuis, totum cor pericardio concretum viderunt, ut taceam, quæ huc spectantia notarunt Hartmannus, Hallerus & plures alii. Neque dubito, quin hujusmodi concretioni tribuendum sit, quod inventum in cadaveribus cor destitutum pericardio, tot auctores scriptis retulerunt. De quibus & multis aliis observatu

dignis legi merentur Præclari illius & Indefeſſi Rei Anatomicæ Scrutatoris D:ni *de Senac* opera, ſub titulo *Traité de la ſtructure du coeur* Tom. II. L. IV. C. 5.

3) Deminuitur facultas virium, ad cordis contractionem efficiendam, mobilitate hujus muſculi in agendo imminuta, *ex materia quadam oſſea in ſubſtantiam ejus effuſa.* Illuſtr. *Hallero* debemus doctrinam de modo, quo in oſſeam duritiem convertantur ſolida in corpore humano, pulcherrime explicatam, quem modum & in Act. Scient. Rꝛæ Acad. Stockh. & aliis ſuis in ſcriptis plurimis experimentis anatomicis demonſtravit, unde maxima quoque lux veritatibus medicis affuſa eſt, non ſine inſigni uſu in praxi medica. Tales vero oſſeas & cartilaginoſas concretiones, ante eum etiam notarunt *Galenus*, *Veſalius*, *Riolanus* & multi alii. *Cheſelden* valvulas ſemilunares juxta aortæ exitum oſſeas factas vidit. In *Transact. Philoſ.* valvulas mitrales & tricuspidales oſſium inſtar duras repertas fuiſſe legimus. *Smetius* auriculam dextram, & *Marcus Aurelius* ſiniſtram calloſam vidit *a)*. Satis autem patet, quam adverſa eſſe debuerit cordis motui ejusmodi durities in illis partibus, quæ motum adjuvabunt, quantaque neceſſitate ſecutura inde ſit *Pulſus* intermiſſio.

4.) Cor, quamquam muſculus robuſtis omnino fibris & firma compage conſtructus, vi tamen ſanguinis impulſi, *expandi* poteſt ad ſpatium ſæpe incredibile. Stupendas ejusmodi expanſiones *Williſius* poſt febrem pleuritidem, *Tanton* poſt peripneumoniam, *Tulpius* & *Martinus* in hydrope pectoris, obſervarunt. *Heurnius* etiam in libero XII annos

a) cfr. Senac. L. c. C. IX. p. 344.

annos nato cor, quam in bove majus, vidit *b*). At expanſo ita cordi præter modum fatiſcent haud dubie vires, quibus ſanguinem propellat more ordinario, hincque in cauſſa erit, ut pulſus relenteſcat.

5.) *Aneurysmatibus* haud raro cor afficitur, unde pariter intermiſſio pulſus, quum impedimentis, quæ attulerint aneuryſmata illa, removendis impares ſint conatus cordis, cavumque adeo illius præter naturam dilatetur, ſicque impediatur ſyſtole. Exempla hujus cauſſiæ in quiete pulſus momentanea adfert Illuſtr. *Van Swieten* in Comment. Boerh. Tom. I. pag. 292. ut taceam *Ballonium*, *Cæſalpinum*, *Malpighium* & reliquos.

6.) *Polypi cordis* ab omnibus fere Anatomicis obſervati, falſa etiam ſui ſpecie nonnumquam eos fefellerunt. Verumtamen ubi reipſa adfuerint, ventriculos cordis inſolentius diſtendant neceſſe eſt, motum illius liberum ſupprimant, pulſumque adeo intercludant. *Bartholinus* cor incredibili magnitudine ob inhærentem polypum vidit, auricula etiam dextra maxime dilatata, ſiniſtra vero vix coryli nucis magnitudinem æquante. *Veſalius*, *Blancardus*, & plures de polypis inſolita magnitudine inventis ſcripſerunt, de quibus evolvatur *Senac* T. II. L. IV. C. 8. p. 405. c. ſ.

Succedit 7.) *Inflammatio*, quam in corde æque exiſtere poſſe, atque in viſceribus aliis, multa exempla monſtrant, tumque maxime ubi inflammationes vicinarum partium præceſſerint. *Cornelius Gemma* poſt febrem Hemitritæum & Peſtilentialem in plurimis cadaveribus cor inflammatum & ſphacelatum

b) *Senac L. c. C. VIII. p. 396. c. ſeq.*

celatum vidit. *Kerkringius* ſubſtantiam cordis nigram obſervavit *c)*, ut linquam ceteros.

8.) *Tumores*, *Abſceſſus* variaque *Ulcera* cordis motum ejus interdum & aliquantum retardare poſſunt. *Columbus* in Cardinale quodam Cambara, tumorem ovi magnitudine ventriculo ſiniſtro incluſum vidit. Idem in alio cadavere abſceſſum totum cor ambientem invenit. *Cheſelden* aperuit puerum, in quo baſis cordis exulcerata erat. *Caſp. Bauhinus* totum cor eroſum vidit. Excreſcentis quoque carnis deformitatem in corde reperit *Lowerus* atque alii *d)*. En! cauſſas parvi illius voluminis, quod in multis cordibus obſervarunt *Malpighius* & *Riolanus*, & unius tantum ventriculi a *Rolfinkio* in cadavere quodam inventi, ut etiam hirſutiei cordis, in *Actis Petropolitanis* & Tractatu de *Cordibus villoſis*; cui rei lucem pariter affundit exemplum id, quod attulit Weitbrechtus, ubi materia condenſata cordis ſuperficiei inſidens villorum ſpeciem præbebat *e)*.

9.) *Lapides* in ventriculis cordis inventos motum ejus turbare, monſtrat *Wierus*, qui tres lapides rubros in corde Imperatoris MAXIMILIANI II. vidit, poſtquam hic vivus graviſſimis palpitationibus vexatus fuerat. Neque enim recte quispiam dubitaverit, quin hoc etiam in viſcere calculi generari poſſint, quorum plura exempla inveniuntur apud Scriptores *f)*.

10.) *Vermes* in ipſo corde inventos multi Anatomici dictitant. Quod ſi ibi etiam nati fuerint, unde originem habuerint, difficile dictu erit. Attamen

---

c) Senac. L. c. C. VIII. *d) idem L. c. C. VII.*
e) C. LX. pag. 423. *f) C. LX. pag. 427.*

tamen fieri non poteſt, quin ſuo pondere, morſu atque ſordibus remoram cordi illius in functionibus objiciant. Inter alios illam cordis labem annotarunt *Riolanus* & *Zacutus Luſitanus*, qui caſus a ſe viſos ea perſpicuitate & accuratione deſcripſerunt, ut fidem illis denegare neminem oporteat *g)*.

11.) Cordis quoque liberum motum varii *pericardii affectiones* impediunt; exempli gratia, ſi oſſeum evaſerit, aut craſſum nimis atque pingue; ſi tumores, vermes & lapides in eo generentur; ſi læſiones, vulnera, inflammationes, hydrops pericardii, vel ſanguis in ſaculum hunc extravaſatus ingruerit *h)*, de quibus omnibus eadem valet argumentatio, ac de morbis, quibus cor ipſum queat infeſtari.

Atque hæ cauſſæ ſunt, quæ vi ſua aut reſiſtente, aut alio modo noxiæ, cor a motu ordinario exercendo detineant vel eum prorſus impediant, eoque ipſo efficiant, ut pulſus intermittat.

§. IV.

AD SECUNDAM CLASSEM *cauſſarum, quibus debetur intermiſſio pulſus, refero vitia, quæ ineſſe poſſunt arteriis.*

Licet enim cauſſam pulſus ex corde antea deduxerim, utpote cujus intercepto motu ſubita pulſus ceſſatio contingit, exemplo eorum, qui Syncope afficiuntur; & licet actio cordis ſyſtaltica impendatur expellendæ undæ ſanguineæ, quæ diametrum naturali majorem movebit; attamen ſunt quædam arteriarum affectiones, quæ hanc vim

g) Senac. L. c. C. LX. pag. 437. *h) C. V. & VI.*

ſufflaminant, ut interdum dilatatio non ſequatur. Huc ſpectat

1.) *Paralyticus arteriarum ſtatus*, quo elaſticitate ſua ita privantur, ut diaſtolen tantummodo admittant, ex quo fit, ut deficiente reciproca arteriarum contractione, cui debetur pulſus, hic intermiſſione ſuſpendatur.

2.) *Spasmodica arteriarum contractio*, quæ eodem ac de corde dictum, modo exiſtit; hæc nimirum affectio, paralyſi oppoſita, parietes vaſorum nimis conſtringendo, dilatationi eorum plane reſiſtit.

3.) *Compreſſio externa arteriæ*, qua vis movens impeditur, quo minus eo in loco, ubi compreſſa eſt arteria, diaſtolen excitet, ſine qua quieſcet pulſus.

4.) Durities in tunicas arteriarum inducta, a ſtagnante liquido iis in vaſis, per quæ ei exitus denegatur; hinc minus flectuntur latera, ſicque non cedunt motui, ſed diametrum eandem internæ ſuperficiei vaſis conſervant, uti in *inflammationibus* earum evenit.

5.) Durities tunicarum arteriæ, inducta ex effuſa in eas *ſucco oſſeo*, unde latera ejus flexioni ad diaſtolen neceſſariæ reſiſtunt, quietemque pulſus inferunt. Succus hic oſſeus effunditur in interiorem arteriarum celluloſam, uti anatomicæ ſectiones Halleri teſtantur.

6.) *Aneuryſma verum*, quod provenit vel a tenuitate cicatricis vulneratæ arteriæ, impetum cruoris non ſuſtinentis, vel ex læſis exterioribus arteriæ tunicis, ſalva manente interiori, quæ impetu cordis dilatatur, & ſaccum format. Arteria itaque illo in loco non amplius manet æquabilis conicus

conicus canalis, ſed in ſaccum extenditur, qui in ingentem ſæpe molem augetur, uti obſervata Medicorum de ingentis & ſtupendæ molis aneuryſmatibus, in cadaveribus inventis, nos ceteriores faciunt *i*).

7.) *Concretio in arteriis polypoſa*, cujus præſentiam tantum non omnes ſectiones anatomicæ, in ſubjectis ætate provectioribus inſtitutæ, detexerunt. Nempe efficiunt polypi intermiſſionem *pulſus*, retardando liquidi movendi copiam, quæ ſufficiens eſſet juſtæ arteriarum dilatationi.

§. V.

TERTIA CLASSIS *cauſſarum intermiſſionis pulſus, in ipſo ſanguine quærenda eſt.*

Sanitas, quam optimo jure in expedito fluidorum per vaſa tranſitu collocaverimus, eam ſanguinis naturam requirit, ut non tantum juſta proportio adſit inter elementa ſanguinis, ſed etiam ut attractio ea vigeat, qua tum nimia diſpoſitio ad concreſcentiam, tum juſto minor niſus ad contactum impediatur. Si itaque mutatio quædam in ſanguine accidat, qua pulſus intermiſſio contingeret, ea ſanguinem motui ineptum, nec actioni cordis & arteriarum obſecundantem indicaret. Quocirca cauſſarum, quibus intermittatur pulſus, ubi peccat ſanguis,

1.) erit *viſciditas* in corporibus cacochymia pituitoſa laborantibus, quæ obicem actioni cordis ponit.

i) *Cfr. Comment. Halleri in Boerh. Inſtit. Medic. T. IV. p. m.* 215.

2.) *Diatheſis ſanguinis phlogiſtica*, in febribus acutis, inflammatoriis, dum ſola tenuiora trajiciuntur, reliqua vero immobilia ad extremitates arteriarum hærent, unde non poteſt non quies momentanea pulſus interdum exiſtere. Ejusmodi noxa ſanguinis ex denſitate in vera Phrenitide evenit, ubi ſanguis per arterias vertebrales allatus ultra non pellendus ſubſiſtit ad fines vaſorum, donec liquidiſſimis tandem per canales laterales expreſſis, craſſioribus vero accumulatis, repletis & obſtructis fere omnibus corticis cerebri vaſis, immedicabile reddatur malum.

3.) *Nimia ſanguinis copia* diſtentionem noxiam inferens ſumme plethoricis, ut latera arteriarum veluti obruantur; is enim effectus nimiæ diſtentionis eſt, ut vaſa *ſupra modum dilatando*, ſicque *eorum robur tollendo paralytica faciat*, ita ut vires quibus contraherentur, ſuperare non valeant obſtaculorum vehementiam.

4.) *Defectus ſanguinis*, cordis atria ita non implentis, ut ſtimuletur cor ad ſyſtolen perfectam; exemplo eſt motus ſanguinis in deliquiis & copioſioribus hæmorrhagiis, obſervatur quoque optime, ubi magna evacuatio per phlebotomiam inſtituenda eſt; ultimus videlicet limes ille, ad quem extendere venæ ſectionem Medicis licuerit.

§. VI.

Abſoluta conſideratione cauſſarum, quibus accidit, ut intermittatur pulſus, ſequitur *Diagnoſis*, facillima, ſi quidem pulſum ipſum intermittentem ſpectemus, quippe qui tactu mox ſentitur, ubi arteria ſueto alias tempore, digitum non ferit. In ſingulis vero dignoſcendis cauſſis majori opus eſt

ſollertia, nec putaverim Medicos vel experientiſſimos adeo felices in praxi fore, ut in caſu quocunque obvio heic inveniant quidquid quæſierint. Signa enim ex quibus cognoſcantur cauſſæ illæ, tam varia ſunt, & plerisque morbis cor afficientibus tam communia, ut ex iis nihil certi ad hujus vel illius cauſſæ detegendam præſentiam colligere poſſimus. Meo igitur propoſito ſufficiet forte, ſi præcipuarum ſigna cauſſarum pathognomonica attulero.

Aneuryſma verum adeſſe in corpore intelligimus, ſi illius cauſſa aliqua, uti punctura, ſectio, tuſio, diſtractio, eroſio locum eum affecerit, ubi magna arteria adeſt, ſi tumor leni preſſione evaneſcit, vel plurimum minuitur, & ablata preſſione, mox in priſtinam magnitudinem redit; ſi pulſus manifeſtus in tumore percipitur, ſique malum ita diu duravit, ut alia tumoris cauſſa cogitari non poſſit. Probabilis etiam ſuſpicio aneuryſmatis in interioribus latentis oritur, ex cognitis prægreſſis cauſſis ſupra nominatis, ſi in loco, quem earum cauſſarum aliqua vexaverat, inſolita pulſatio percipitur ab ægroto, ſi cordis motus ſemper obſervatur turbatus, & aucta ſanguinis velocitate ſuffocatur fere, ſique deprehenderimus in aneuryſmatica affectione cordis ſemper prægreſſam fuiſſe nimii humoris præſentiam cava ejus obruentis. Notatu etiam dignum eſt, quod Fabr. Hildanus narrat, gangrænam extremitates ſemper occupaſſe, quoties cor vel majora vaſa maxime fuiſſent dilatata *k*).

Polypi ſeſe manifeſtant palpitatione cordis, anxietate intolerabili, anhelatione, ſubito omnium

k) *Cfr. Senac. L. c. C. VIII. p.* 416.

virium deliquio, a minimo motu maxime adauctis, respiratione difficili, præcipue si in pulmonum vasis hærent; dignoscuntur etiam ex causis prægressis, ut copia ingesti spirituosi vel acidi mineralis, sanguinem coagulantis, nimio frigore, visciditate sanguinis, cum debilitate solidorum, & denique ex prægressa graviori hæmorrhagia, unde sanguis tarde moveri cœperit & concrescere, ut taceam reliquas. Juxta vero cavendum, ne anxietates, quæ una vel altera hora a pastu ingruunt, a polypis oriri credamus; hæ enim ex tenaci & copioso chylo, quo debilis pulmo gravatur, originem ducunt, dum contra anxietates & oppressiones pectoris in iis frequentiores sunt, qui polypis laborant, & alio etiam tempore, quam post sumtum cibum, corpus vexant, præcipue si motu vel levissimo agitatum illud fuerit. Anxietas, quæ in morbis acutis observatur, pro symptomate ex polypo orto non habenda, siquidem primo potius vitium incipientis obstructionis in pulmone indicat, uti ex respiratione veloci & laborioſa patet. Ejusmodi anxietas crisεos etiam sæpe prænuntia est, & cum pulsu intermittente conjuncta.

Pulsus intermissionem proveniſſe *a nervorum affectione* arguit præsentia indiciorum, quæ hanc produnt in subjectis facile mobilibus & systematis nervei debilitate laborantibus, uti in ætate quæ juvenilem antecedit, in sexu sequiori, hysterici, hypochondriacis, timidis, animi deliquio interdum laborantibus, & iis in morbis ubi debilitas nervorum inordinato eorum motui juncta est.

Ubi causa intermissionis pulsus orta fuit *ab ossea quadam duritie* cordis vel arteriarum, aut harum callis nævisque aliis, examinentur indicia ex ætate, victu corporis prægresso & habitu solidorum & fluidorum.

Inflam-

Inflammationem cordis vel arteriarum cauſſam quietis pulſus momentaneæ eſſe, monſtrant duritiei pulſus, vehementior agitatio ſanguinis, & præſentia cauſſarum, quæ inflammationem neceſſario inducunt.

§. VII.

In judicio rite ferendo de periculis ex quiete pulſus momentanea timendis, horumque exitu, ad diſcrepantiam cauſſarum in diverſis ætatibus & ſubjectis reſpiciendum eſt. Nam qui lipothymia quidem, palpitationibus cordis & anhelatione difficili laborant, ſubitum interitum haud effugient, quem accelerabit quoque cordis polypus, præcipiti impetu & inopina ſuffocatione enecans. Æque vero extimeſcenda non eſt pulſus intermiſſio, ſi obvenerit ſine adjuncta graviori læſione functionum vitalium, ut in pueris, feminis præcipue hyſtericis, & hypochondriacis, & in concretione cordis cum pericardio, etiamſi ex hac ultima cauſſa, poſt graves pectoris oppreſſiones & cordis palpitationes fuerunt, qui perierint *l*). Contra grave periculum imminet, ſi intermittat pulſus in ſtatu morborum, qui debentur polypis in plethoricis, & aneuryſmati cordis aut arteriarum earumque dilatationi.

Qui pulſus intermiſſionem ab *aneuryſmate* patiuntur, illi vel ſubitaneo interitu jugulantur, vel hectica tabe conſumuntur; liquidum enim in ſacco aneuryſmatico inter polypoſas concretiones hærens, acre fit, & reliquos humores inficit, quare etiam *Ruyſchius* ſterni os & omnes fere coſtas aneuryſmate

---

l) *Malpigh. de mort. ſubit. Libr. II. obſ.* 4. *Peyerus in Pareg. anat. III. p.* 198.

te deſtructas obſervavit. *Lommius m)* teſtatur intermiſſionem quo diutius duraverit, eo periculoſiorem fuiſſe, & ſicubi vel duæ modo pulſationes tempore ſveto exſpectandæ abfuerint, mortem portendi, niſi alicui forte tam lentus pulſus naturalis fuerit. Eſt tamen in ſenibus, longa febre vel anhelatione affectis, itemque alias in pueris ab eo obſervatum, poſt intermiſſionem pulſus vitam manſiſſe, quod nulli contigiſſe juvenum crediderimus *n)*. *Proſp. Alpinus o)* refert ſe vidiſſe juvenem pleuriticam, in qua usque ad diem quintum pulſus eo modo quieverit, ut primo die poſt ſingulas ſeptem aut decem pulſationes quieverit ſpatio unius, ſecundo die poſt ſingulas ſex aut quatuor, tertio poſt ſingulas tres, & quarto poſt ſingulas binas, ita ut immobilis multo intervallo arteria maneret, pulſusque ſubſequentes languidi exilesque eſſent, quod certiſſimum alias inſtantis mortis præbet indicium, & nihilo minus tamen, excreta tantum per urinam maſſa craſſa & pituitoſa, ex morbo eam convaluiſſe. Omnimoda vero quies pulſus, quam ἀσφυξίαν dixerunt Græci, referente etiam Lommio l. c. non fida minus, quam truculenta mortis index eſt, quippe quæ morituris fere omnibus ſub finem vitæ accidit, quibusdam breviori ante eum temporis intervallo, nonnullis, quod mirum videatur, pluribus etiam ante ultimum diebus. Ceterum & levioris mali præſagam interdum fuiſſe intermiſſionem pulſus, ac ſine damno graviori transiiſſe, multa exempla monſtrant. *Riverius* eam a lumbrico illatam obſervavit *p)*, & a polypo, non durantem modo

---

m) Obſ. medic. p. 307.

n) Galenus Lib. II. de Præſag. ex pulſibus.

o) De præſagienda vita & morte ægrotant. p. 240.

p) Cent. III. obſ. 3.

modo diu, ſed & ſæpius recurrentem, ſuperſtite longius vita *q)*. *Kerkringius* eam ſine funeſto eventu ſe vidiſſe teſtatur *r)*.

Peeblinus confirmat, eandem contigiſſe flatuum exſurgentium copia, quæ mirifice cor conſtrinxit, unde intercepta fuit ſyſtole cordis, evadebat tamen ſine omni periculo, ſtatim ac copioſi ructus exirent *s)*. Idem teſtatur ſe intermiſſionem pulſus in ſcorbuticis, in feminis junioribus male menſtruatis, puerperis & nutricibus ſine ullo majori incommodo annotaſſe *t)*.

§. VIII.

Licet intermiſſio pulſus ſola conſiderata, morbum non efficiat, attamen quum cauſſas agnoſcat, quæ ſi diutius afflixerint, non poſſint non periculum minari, haud inutile fuerit, detectis ex diagnoſi allata cauſſis explicare, quo pacto mature ſummoveantur aut minuantur ſaltem, quum Medica Scientia plus ſæpe haud valeat, quam ut mali incrementum differat aliquatenus, & tolerabilem forte morbum reddat miſeris.

Si malum a *polypis*, oſtia vaſorum obturantibus, proveniat, in eo opera collocanda, ut ſanguis reddatur ab omni concretione alienus, quo tritu continuo præterlabentis ſanguinis deterantur ſenſim; conveniunt itaque ſalia lixivioſa & neutra, volatilia & ſpirituoſa prudenter propinata, liquor diluens, copioſe hauſtus, ut etiam ſtimulantia aromatica. Phlebotomia illis corporibus eſt neceſſaria, in quibus major adeſt humorum copia; quies illis

q) Cent. II. obſ. 77. *r) In Spicileg. obſ. 78.*
s) Lib. II. obſ. 8. *t) Lib. II. obſ. 7. p. 214.*

illis etiam accomodata eſt, obſervata enim docuerunt polypum, e loco dimotum, inopinato ſuffocaſſe. In votis eſt, ut inveniretur medicamen, quod virtute polypos ejusmodi ſolvendi inſtructum eſſet! Nec eſt, quod deſperemus, quum ea, quibus ſumma inſit ſolvendi virtus, magna quoque non ſemper acrimonia nocere queant. Mel, fructuum horæorum ſucci, denſitatem ſanguinis ſolvunt. Sapo venetus, borax, ſal ammoniacum, ſales volat. oleoſi &c. viſciditatem attenuant. Lentorem lymphæ in ſyphiliticis affectibus, variolis, febre peſtilentiali & petechiali mobilem reddunt Calomelas & Camphora *u*). Iners ovi cocti albumen ſolvit myrrham, & oleum fluidam facit ceram, adeoque inveniri poſſe etiam iners remedium polypos ſoluturum dies futura monſtrabit, ad quod inveniendum incitat maxima utilitas, in ſcientiam & mortales inde redundatura.

In pulſuum intermiſſione ex *abundantia ſanguinis* & *aneuryſmate cordis vel arteriarum*, proſunt ſanguinis detractio, potus tenuiſſimus, ſerum lactis, hydrogala mellitum, cibus blandus tenuis, repetitis vicibus parva quantitate ſumtus, ut parum chyli ſanguini miſceatur, & humorum dilutorum per vaſa lubricata expeditus fiat tranſitus. Mentis & corporis quies neceſſaria eſt, quo componatur eo modo vivendi genus, ut ne fiat major motus cordis, quam qui ad vitam continuandam ſit neceſſarius; hinc omnia ſtimulantia maxime ſunt aliena. *Aneuryſmate* in arteriis externis hærenti medebimur, juvando tunicarum infirmitatem preſſione externa, quæ protrahenda, donec robur ſufficiens adquirant, ad ſuſtinendum impetum undarum ſanguinearum; ſed hoc tentandum in recenti aneuryſmate.

Si

u). *Cfr. Schreiber de Peſtilentia p.* 52.

Si inflammatio cordis aut tunicarum in arteriis quietem pulsui induxerit, medela inflammationibus convenienti, obveniundum, ut sanguis immobilis hærens recipiat diametrum, canali minorem, sicque inflammatio solvatur.

Pulsus intermissio, quæ debetur *ossеis & callosis arteriis aut cordi, concretove cordi cum pericardio,* medelam omnem respuit, sola relicta diligentia, qua mitigentur mala, ex tam gravibus causis profluentia.

Hæc sunt C. L. quæ circa doctrinam arduam non minus quam necessariam proferre potui. Multa addi, multa curatius exponi debuisse fateor. Benigniorem tamen censuram eo certius mihi polliceor, quod voluntate magis, quam viribus conantis, innoxia ausa æquitas metiri soleat.

CLXXVI.

CORTEX PERUVIANUS

PRÆSIDE

D. D. CAR. LINNÆO

propositus

a

JOH. CHRIST. Pet. PETERSEN
Holmiensi.

Upsaliæ 1758. *Maji* 10.

Cum omnia quæ ad hominis sustentationem conservationemque spectant, quando vel a naturali bona conditione recedunt, vel male & perverse adhibentur, sanitatem quoque ejus perturbare atque exstirpare, immo & vita præmature ipsum privare possunt; ille quotidiano corporis sui perniciei periculo esset subjectus, si vel summum numen facultate eum destituisset, convenientem naturæ ejus sex rerum non naturalium faciendi usum; vel si nulla paravisset media, quibus cum ex errore in ipsis commisso ignorantiæ vel neglectus sentiret fructus, eos iterum posset propulsare & removere.

Æterna

Æterna vero hæc bonitas hominem tam facultate prædidit, qua corpori quid utile quid damnoſum ſit, tam ſenſibus quam experientia, magna illa magiſtra, diſcernere poſſit, hoc rejicere, illud eligere, quam omnia ei donavit, quæ ad ſanitatem ſuam, vel proprio vitio vel absque eo amiſſam, reſtituendam conducunt. Eum enim in finem montes & valles magna ornavit herbarum copia, medicinas in regno animali diſtribuit, immo in profunditate terræ collocavit theſauros ſanitatis, hominique dedit facultatem, ea ubicunque cognoſcendi, ſibi ſubjiciendi, inque uſum ſuſtentationemque ſuam convertendi. Hæc vero bonitas eo præcipue eſt multiplicata, dum nonnullis mediis proprias plane præbuerit vires, & tanta etiam ipſa produxerit quantitate, ut omnes & ſinguli in uſus ſuos ea convertere poſſint. Non mei quidem eſt propoſiti, *omnem remediorum tali vi præditorum enumerare copiam*; Corticem vero peruvianum in eorum numerum omni jure referri debere, exiſtimo, dum non modo ſatis copioſa adſit quantitate, ſed & per egregios effectus potiſſimum eorum unum eſſe, ſe manifeſtaverit. Quis enim in orbe medico tam eſt rudis, ut ignoret, hoc pharmaco non modo omnes intermittentium febrium ſpecies certe & ſecure tolli, verum etiam alios morbos, quos efficaciora remedia ſæpe fruſtra ſunt adgreſſa. Si igitur Cortex peruvianus inter remedia ſ. d. ſpecifica locum obtinuit fere principem, & a Doct. Sydenham unicum & ſolum declaratur ſpecificum *a)*, honoribus cumulatur quæ revera ei competunt. Sicuti vero magni nominis & virium remedia, non ſemper utiles atque ſalutares præſtant effectus, ſed recte adhibita illos ſolum edunt; ſic æſtimare

a) Sydenham. op. un. præf. pag. 29.

æſtimare non poſſumus, Corticem eſſe abſolute bonum remedium, ſed potius concludendum, illum inſtar aliorum remediorum heroicorum, maximum ſæpe cauſare damnum atque perniciem, nempe ſi perverſe eo utimur. Et certe damnum hoc pharmaco ſæpius perverſa applicatione productum non eſt leve, cum & ejus patroni amicique in ſcriptis eorum multos allegent caſus, qui teſtimonium inde præbent; & ſi verum eſt, quod Vir tam ob inſignes ingenii dotes & acumen mentis quam ob abuſum inde factum multifarium in mundo erudito, pernotiſſimus, narravit, Bœrhaavius immortalis ſummi illud habuit momenti, dicendo, corticem poſt ejus in Europa introductionem plus trucidaſſe hominum, quam omnes Ludovici XIV. exercitus.

Hujus quidem non adhuc eſt loci, emolumenta & damna, corticis uſu producta, pertractare; ex dictis vero jam ſequitur, maximi eſſe momenti, ut qui praxin medicam exercere cupit, notitiam de hoc pharmaco ſibi acquirat quantum fieri poteſt perfectam; ut præſertim diligentiſſime inquirat, quomodo in ſolida fluidaque corporis noſtri, ſecundum diverſum ſexum, temperamenta, ætates atque tempora anni, agat tam in ſanis quam ægrotis; quæ notitia ita debet eſſe comparata, ut ante applicationem hujus medicamenti, effectus ſecundum diverſos corporum & morborum ſtatus tanquam præſentes ſibi repræſentare, ipſosque prædicere poſſit. Quod vero ego ex ore fideliſſimorum præceptorum hujus Academiæ, ex ſcriptis optimorum practicorum, & ex nonnullis ſecundum eorum exemplar cum cortice inſtitutis propriis obſervationibus, de eo novi, hac diſſertatione, mihi jam legibus hujus Academiæ convenienter, pro ſpecimine adhibitæ diligentiæ & per illam acquiſitæ notitiæ in medicina, publice defendenda, pro facultate mea tradam.

§. I.

§. I.

HISTORIA ET FATA CORTICIS PRÆCIPUA.

Anno MDCXLIX. Cortex peruvianus, alias quoque China, Chinchina, Cortex febrilis & febrifugus, Caſcara de Loxa, Caſcarilla, Lignum de Lima, Palo de calenturas, Chinchona &c. dictus, per Proregem Hiſpanicum Comitem del Chinchon, & non multo poſt per nonnullos Jeſuitas in Hiſpaniam perlatus fuit. Hi ipſum poſtea in Italia forma pulveris, & nomine Cardinalis de Lugo, contra idem auri pondus vendiderunt, unde poſtea fere per totam Europam innotuit. Sacricolarum horum avaritia atque argenti cupiditas per longum quod effluxit temporis intervallum diligentiſſime celavit, eſſe corticem pulveriſatum arboris Ganaperidis dicti *b*). Tandem vero cum & hoc innoteſceret, notitia tamen exacta ejus arboris longe poſt defuit ad annum MDCCXXXVII. Eo vero, & quidem in conventu Acad. Scient. Pariſiis literæ a D:no de la Condamine ad D. du Fay miſſæ ab eo prælegebantur, quibus ſequens inerat arboris hujus corticis deſcriptio *c*): „Creſcit nempe in America meridionali, & quidem in Regno Peruviano, apud Provinciæ Quitenſis oppidum Loxa, nec non alibi; in montium jugis, ad mediam partem & radices, raro vero in planitie animadvertitur. Cajanumam præcipue montem & alios adjacentes, uti & a Loxa remotos occupat. Non adeo eſt procera, ſed ad pruni circiter altitudinem excreſcit. Inſigniter in ramos eſt divaricata, caudex eſt mediocris, & folia quæ ramos veſtiunt ſunt ſimplicia, oppoſita,

b) Lemery Diction. des Drogues.

c) Geoffroy mat. medicale Tom. 3. p. 309.

ovato oblonga, anterius cuſpidata, integerrima, petiolata, tres uncias longa, duas lata, ſat craſſa, coſta per mediam longitudinem excurrente, ex qua nervi laterales ad oras ſucceſſive obliquant. Extremis ramis e ſummo arboris prodeuntibus unus vel plures innaſcuntur florum faſciculi, figura & colore cæruleo-cinereo, antequam aperiantur Lavendulæ floribus nonnihil ſimilium. Communis florum pedunculus ex alis foliorum emergit, & in plures pedunculos minores divaricatur, ſingulos ſingulum florem gerentes, perianthio donatum minimo, quinquedentato, perſiſtente & embryoni inſidente. Corolla monopetala eſt regularis & infundibuliformis, Hyacinthi flori fere ſimilis magnitudine & figura, tubo 9 linear. oblongo, limbo patulo, quinque-vel ſexfido, laciniis acutis, margine attentius inſpicienti leviter ſerrato. Color corollæ intus eſt miniatus, ad medium vividior, ad margines pallidior, extus rubore ſqualido cum lanugine albicante. Ex fundo tubi oblongi egreditur piſtillum, ſtigmate oblongo & viridi inſtructum, tubum quod non excedit, & circumdatur 5 ſtaminibus pallide luteis & intus reconditis. Embryo in capſulam olivæformem permutatur, quæ aperitur a baſi ad apicem duobus loculamentis per ſeptum ſeparatis, unde fere ſemper Semina parva compreſſa capſula rupta proveniunt, margine cincta membranaceo pellucido. Valvæ areſcunt & fiunt breviores & latiores.„ *) Ex hac floris deſcriptione patet,

*) Cum hac deſcriptione conferri meretur illa, quam Cel. *Mutis* & b. *Linneo* acceptam referimus, quamque e *Syſt. nat.* 12. *tom.* 2. *p.* 164. huc transſcribere non ſuperfluum erit :

Folia oppoſita, petiolata, integerrima, ſubtus tomentoſa.
Flores paniculati, pedicellati.

Cal.

patet, eam ad Classem secundum Nobil. Præsidis systema vocatam Pentandriam Monogyniam pertinere *d*).

§. II.

Historia docet, Chinchinam apud Americanas gentes per multum jam anteá temporis spatium contra febres intermittentes fuisse usitatam, quæ ex Leonibus, febre sæpius vexatis, comesto vero Cortice sanatis, eam in usus suos convertere didicerunt *e*). Anno vero 1640 uxor Proregis Hispanici, tunc Comitis del Chinchon, tertiana intermittente vehementi, quæ sæpius epidemice in ea regione grassatur, Cortice sanata fuit, unde Hispanis ibidem, & ita porro *f*) in ipsa Europa, uti jam mentionem injeci, innotuit. Magnum pulveris Cardinalis de Lugo pretium abunde testatur, quanti febrifugum hoc tunc in Europa fuerit æstimatum. Sicuti vero plerumque res peregrinæ multa experiuntur fata, antequam verus justusque eorum determinari possit usus; idem quoque contigit Chinæ. Quantum enim per nonnullos annos in Europa

Cal. monophyllus, minimus, campanulatus, obsoletissime quinquedentatus.

Cor. infundibuliformis, extus tomentosa. *Tubus* cylindricus, calyce multoties longior. *Limbus* tubo brevior, quinquepartitus: *laciniis* ovato-oblongis, patentibus, apice intus margineque lanatis.

Filamenta 5, setacea, e medio tubi. *Antheræ* oblongæ, supra basin exteriorem affixæ in fauce corollæ.

Capsula bipartibilis, dehiscens in duas partes *dissepimento* parallelo, latere interiore dehiscentes.

Adn. Edit.

d) Linnæi gen. plant. pag. 413.

e) Histoire de l'Academie Royale 1738. p. 233.

f) Geoffr. mat. med. Tom. 2. pag. 312.

erat celebrata, tantum postea *insecura* atque noxia fuit declarata *g)*, adeo ut *omnis fere* ejus usus fuisset suspensus atque Americanis solis relictus. Ansam ad hanc mutationem *præcipue* præbuisse videtur, quia tempus, dosin, usus reiteratos &c. ad penitus exstirpandam materiam febrilem, vigoremque corporis restituendum adhuc ignorabant, quod etiam scitu difficile erat, ob magnum pretium ad instituenda tentamina perinde impediens. Non tamen deerant, qui Cortiecm in febribus intermittentibus *adhibebant*, *nomine* tamen ejus occultato, ne *propriam periclitarent famam*, nec lucrum ex *utilitate* medicinæ *ignotæ* possessoribus proficiscens, amitterent. Talis erat Robertus Talbot, Eques Anglus, qui multos in Gallia febre laborantes, nomine remedii Anglicani, Cortice sanavit. Munificentia vero tandem & liberalitas Ludovici *XIV.* arcanum *Talboti* patefecit, & cura *diligentiaque Monarchæ hujus*, Cortex Chinchinæ *sufficienti quantitate* ad Galliam, & denique per alios ad totam Europam periatus fuit. Tali modo celebritas hujus febrifugi amissa iterum restituebatur. Multi quidem Medici & post hoc tempus usum ejus iterum suspectum reddere voluerunt, frustraneis tamen semper conatibus. Ipse quondam ob eruditionem in Medicina, præsertimque scripta chemica & practica Cel. Stahl, & varii discipulorum *ejus*, in quorum numero est Cel. Halæ *Professor* Juncker, odio Corticis *singulari* fuit *affectus*, adeo ut & hic ineptum *nominaverit* medicamen, urgendo ad plane sauciandam ejus famam, reginam Hispaniæ usu ejus præmature diem obiisse supremum, regemque Philippum V^ eo periculis atrocissimis fuisse expositum *b)*. Immo & ipse Ramazzinus, vir ille ævo suo

g) Geoffroi loco cit.

b) Junckeri Therap. special. p. 656.

ſuo fama & auctoritate florens, & qui commentariis ſuis de morbis artificum & morbis principum, uti & aliis ſcriptis doctiſſimis famam ſibi acquiſivit egregiam, ultimis fere vitæ diebus Corticem peruvianum ſcripto culpavit, uſu ejus experientia propria antea non modo approbato, verum & aliis commendato. Inconſtantiæ hujus qualis & fuerit cauſa, certum tamen eſt, ſolitum heic errorem fuiſſe commiſſum, ut ipſi rei imputetur, quod minus rectæ adplicationi ſolum adſcribi poteſt, uti hoc quidem *in ipſa Autoris* inſcriptione promittitur. *Sic aliquando bonus dormitat Homerus.*

§. III.

Quanta vero fuit malevolorum & inimicorum Chinæ in noſtro ævo copia, qui egregiam in febribus intermittentibus utilitatem *in dubium* vocare ſtuduerunt; tot quoque habuit amicos, defenſores laudumque ſuarum præcones. Quantum enim Torti *i)* atque Lanciſius *k)* in Italia, Hofmannus *l)*, Bergerus *m)* & Werlhof *n)* in Germania, Boerhaave *o)*, van Swieten *p)* & Joh. de Gorter *q)* in Hollandia, Helvetius *r)* in Gallia, Richardus

i) Torti therap. ſpecial. it. reſp. jatro - apologeticæ.

k) De noxiis paludum effluviis.

l) In propempt. ad diſſ. de recto Chinæ uſu.

m) China ch. ab iniquis judiciis vindicata.

n) Obſerv. de febribus.

o) In Aphoriſmis.

p) Comment. Boerhaav. aphor. p. 559. 563.

q) In orat. de prax. med. rep. certitud. Francof. & Lipſ. 1746.

r) Recueil de methodes.

chardus Morton *s)* & Sydenham *t)* in Magna Britannia, fratres duo Nicolaus & Eberhardus Roſén *u)* in Svecia, & præter nominatos egregios viros multi adhuc alii doctiſſimi experientiſſimique medici, rem ejus egerunt, quantaque dexteritate, felicique cum ſucceſſu contra omnes adverſariorum ſcrupulos eam defenderint illosque refutarint, hoc ubique eſt notiſſimum; adeo ut omnes qui virorum dictorum ſcripta legerint, obſervationesque eorum debita diligentia iterarint, corticem peruvianum non modo ſecurum & innoxium, verum etiam ſecuriſſimum efficaciſſimumque hucusque notum febrifugum deprædicent, neceſſe eſt.

Ad ulterius confirmandam hanc veritatem mihi ſemper erit occaſio; jam vero ſolum effectus Corticis in diverſis aliis morbis, præcipue vero eis, qui vel revera ad generationem febrium intermittentium aptam & neceſſariam materiam, vel aliam humorum corporis noſtri degenerationem, vel magnam partium ſolidarum atoniam, vel utramque cauſſam habent, referam, quo hiſtoricam hujus vegetabilis partem finiam.

§. IV.

Ex morbis vero, quorum ſanatione Cortex peruvianus famam ſibi acquiſivit, jure meritoque Gangrænam primum nomino; crudelis enim hæc generis humani inimica, pretium ejus præ aliis exaltat, quia celeri ejus progreſſioni efficaciſſime reſiſtit, eamque feliciter ſæpius *v)* tollit. Primus vero

s) Πυρετολογία cap. VII.

t) Sydenh. op. un. pag. 229. 230. 301. &c.

u) In diſſertatione de cort. peruv. Lund. habita 1744.

v) Werlhof obſ. de feb. p. 332.

vero erat doctus expertusque Chirurgus Rushworth, qui insigni mentis acumine, per illudque directis egregiis observationibus, corticis ad inhibendum gangrænæ progressum ex interna causa natum, utilitatem detexit in lucemque edidit *w*). Experimenta postea Dn. Amyandus *x*), Douglas *y*), Shipton *z*), Goolden *a*), Paisley *b*), Wood *c*), Professor Simson *d*), Gibson *e*), Calder *f*), & Celeb. Edinburg. Professor Monro *g*) reiterarunt, eventusque similes experientiam primi inventoris confirmarunt. Douglas *h*), Gibson *i*) & alii Corticem postea quoque in gangræna ex causa externa violenta producta, exoptato cum effectu adhibuerunt. Experientiæ quoque dictæ stabilitæ fuerunt observationibus viri magni nominis L. B. van Swieten, & in ipsa Svecia exempla non desunt, quæ abunde hoc testantur. Sic novas per Corticem Medicina sibi acquisivit vires, tali modo generi humano utilior & veneratione adhuc dignior facta.

Epilepsia, non minor sanitatis ipsiusque vitæ hominis adversaria, cortice pari modo sæpius fuit debellata. Ipse parens meus ante duos annos puerum decem annos natum, epilepsia jam per biennium laborantem, sanandum obtinuit. Insultus

w) A proposal for the improvment of surgeries p. 3.
x) Act. Edinb. Tom. 2. p. 480.
y) l. c.
z) l. c.
a) Acta Ed. Tom. 3. p. 38.
b) l. c.
c) Tom. 4. p. 62.
d) l. c.
e) l. c.
f) l. c.
g) l. c. p. 33.
h) l. c.
i) Act. Ed. loc. cit.

epilepticos in morbi principio, intervallo trium menſium, poſtea unius, tunc ſeptimanæ ſolum, tandemque in nychthemero tribus vicibus miſerrime fuit perpeſſus. Præmiſſis & interpoſitis aliis remediis neceſſariis, Cortice feliciter ſanatum vidi. Aliis quoque occaſionibus, & adhuc anno 1757. vidi diriſſimas epilepſias cum tertiana conjunctas a patre meo eodem remedio feliciter fuiſſe ſuperatas. Viri etiam iſti ſupra omnes meas laudes poſiti, van Swieten *k)* atque Tortus *l)* ſimiles allegarunt experientias. Quantisque laudibus egregiis Werlhof *m)*, doctiſſimus Tralles *n)*, præclariſſimus Allen *o)* aliique experientiſſimi viri, in hoc periculi pleno morbo corticem efferant, ex ſcriptis eorum liquet. Sicuti vero magnæ virtutis eſt cortex in certis epilepſiæ ſpeciebus, ſic etiam in aliis morbis convulſivis & ſpasmodicis, in affectibus ſoporoſis & apoplecticis, nec non in malo hypochondriaco & hyſterico eximios præſtitit effectus *p)*.

In certis hydropis ſpeciebus, præſertim ex febrium perverſa curatione originem trahentibus, valde utile fuit & efficax remedium Cortex peruvianus *q)*. In phthiſicis tabidisque morbis, ut phthiſi ab Hæmoptoe & Hæmorrhagia, egregii etiam Corticis ſunt notati effectus *r)*.

Valere

---

k) van Swiet. comment. in Boerh. Tom. 3. p. 187.

l) Torti th. ſp. 426.

m) Obſ. de febr. p. 16.

n) Exam. rigoroſ. cap. X. p. 151.

o) Synopſ. med. pract. cap. 3. p. 148.

p) Primit. phyſico med. Vol. 2. p. 476.

q) Blegny remed. anglois p. 86. & Heiſter. in peculiar. diſſ.

r) Morton phthiſiol. cap. V. p. 96. & Werlhof p. 252.

Valere in *Hæmorrhagia*, ipſe vidi nuperrime A:o 1757 exemplum in femina honeſtiſſima, opem Patris mei implorante, quæ violentam uteri hæmorrhagiam aliaque gravia ſymptomata, uſu aliquot vicibus repetito pulveris d'Ailhaud ſibi acquiſiverat, magnaque cum voluptate mirandos ſane Corticis vires animadverti in ægrota animam jam agente, mediante vero eo intra duarum ſeptimanarum ſpatium ſanata.

Eſſe uſum ejus quam maxime proficuum in Variolis, Purpura chronica & aliis morbis exanthematicis, experientia ſatis fuit teſtatum *s) t)*.

Quamvis nonnulli Chinchonam in Scorbuto eſſe magni ponderis remedium non crediderint, præclarus tamen Hoffmannus *u)* & Lind *v)* laudes ejus, valde ob vim corroborantem & antiputredinoſam veroſimiles, non denegarunt, ſed potius commendarunt.

Multa quoque adſunt Auctorum teſtimonia, Corticem eſſe ſalutarem magnique pretii in morbis arthriticis *w)* & iis ex eodem genere *x)*, nec non in doloribus periodicis *y)* varii generis.

Nec

---

s) Mort. pyretol. pag. 121. & Act. Edinb. Tom. V. p. 122.

t) Primit. phyſico med. Vol. 2. p. 271.

u) Hoffmann. Med. ſyſtemat. Tomi IV. Pars V. p. 31.

v) Lind. Traité du Scorbut. Tom. 1. p. 366. & Tom. 2. p. 187.

w) Werlhof p. 54. & Miſcellan. nat. curioſ. Cent. 3. obſ. 4. p. 370.

x) Miſcell. n. cur. Dec. 3. an. 7. & 8. obſ. 207.

y) Mort. πυρετολογία 123.

Nec deſunt, qui opem ejus præclaram habent in Melancholia, cujus rei teſtes habemus in ipſa Suecia *z)*.

Pari ratione Cortex Dyſenterias, aliasque alvi fluxiones, feliciter ſæpius profligavit.

Edocti quoque ſumus experientia, opem ejus non eſſe ſpernendam in multis malorum generibus a Vermibus originem trahentibus.

Ad emendandum minus laudabile Ulcerum pus, Cortex pro remedio optimæ notæ habetur *a)*.

Sic Cortex peruvianus non ſolum in febribus intermittentibus, ſed & variis aliis morbis, ut utile, immo maxime utile remedium ſe manifeſtavit, ſi opportuno tempore, recta doſi, & juſto ordine, ſecundum ægrotorum ipſorumque morborum conditionem, vel in tota ſubſtantia, vel aliqua ejus parte ope chemiæ ſeparata, propinatur. De his vero omnibus in poſterum plura loquar; jam vero hiſtoricam ejus partem finiens, parte ſecunda Criteria conſiderabo Corticis electi, & differentiam ab aliis.

§. V.

CRITERIA CORTICIS SELECTI.

Hac parte tam quod ope ſenſuum, quam Chemiæ, ſecundum exemplar *Mortoni*, *Torti*, Hoffmanni &c. quorum veſtigia quoque ſequutus eſt egregius vir Dn. Profeſſor Eb. Roſén, in cortice animadverti, heic omnimode referam, quo propoſito meo debite ſatisfaciam.

Novi-

---

z) Roſén Diſſ. Lond. Goth. p. 51.

a) Act. Edinb. Tom. V. p. 121. & 122.

Novimus arborem, quæ veſtitur Cortice noſtro, creſcere vel in jugis montium, vel ad mediam eorum partem, vel ad radices. Hæc vilioris notæ; in acumine creſcens mediocris; mediam vero partem occupans optima habetur *b)*. Hujus rei cauſa videtur hæc, quod nimis alte creſcens calore ibidem immodico partibus ſuis quam maxime activis privatur, ad radices vero montium degens, nimia humiditate gravatur, quare medius optimus dici poteſt. Cortex e ramis deſumtus præfertur ei e trunco, & minimorum ramulorum præſtans eſt. Hiſpani cum radicibus erutam præferre dicuntur. Sunt etiam qui credunt partem arboris ad meridiem vergentem genuinum, occidentalem vero & orientalem bonitate medium, ſeptentrionalem vero viliſſimum præbere. In noſtris Pharmacopoliis, qui adeſt Cortex peruvianus, tam e trunco, quam ramis & ramulis arborum eſt deſumtus. Hic omnium conſenſu optimus habetur, quia plurimis pollet partibus activis, quod tam effectus, quam analyſis chemica docuit. Quo vero eum a viliori ſua ſpecie, uti & ab aliis ſimilitudinem cum eo habentibus, dignoſcere poſſimus, ſequentes primo ope ſenſuum concinnatæ notæ valebunt.

1) *Colore* optimæ ſpeciei differt ab *a)* minus laudabili, quod ille ſuperficie ſua externa ſcabra obſcurus, fuſcus vel cinereus ſit, interiori vero Cinnamomi colorem referat, fractusque intus paulo pallidior; hic vero nigricans, flavus, pallidus, quaſi politus, levis & ſpiſſus ſit.

b) A *Caſcarilla*, quæ exteriori ſuperficie ſcabra eſt & albicans, interiori vero cinerea fere & paulo obſcurior; fracta *intus* fere eundem cinereum habet colorem, quam ſuperficies interna.

c) A

b) Werlhof.

c) A Caſſia caryophyllata. Hæc extus quaſi eſt ferruginea, intus nigricans, fractaque eundem fere habet colorem.

2) *Odore* pollet optima ſpecies peculiariter mucido, unde *a)* ab aliis dignoſcitur, ubi eſt vel fœtidus vel putridus, carioſus, vel plane inodorus. Combuſtus quoque Cortex acrem habet odorem naſumque valde afficientem. Differt *b)* a Caſcarilla, quæ odore magis eſt fragrans & combuſta aromatico. *c)* Caſſia vero caryophyllata facile ſuo caryophyllaceo diſtinguitur odore.

3) *Sapore* China china præferenda eſt, *a)* quæ illum habet ex acri & amaro leniter aromaticum mucidum, ſine auſtera acerbitate tamen adſtringentem. Styptica ergo, acerba, inſipida & a ſpecifico ſapore aliena, rejicitur. *b)* Caſcarilla ſaporem habet magis acrem, minus adſtringentem, & longe aliter amarum; *c)* Caſſia caryoph. ſi recens ſatis perſpicuo ſapore caryophyllaceo ſatis diſtinguitur & impetuoſe adſtringenti; ſi vero oleo jam ad partem eſt privata, ſaporem habet debiliter amarum & valde aromaticum.

4) *Tactu.* Manibus tentata China china optima quæ frangitur, longe ei præfertur quæ in fibras lignoſas diſcerpitur. Quæ vero fracta, puncta habet ſoli expoſita ſplendeſcentia, præſtans habetur. Dentibus maſticata debet eſſe friabilis, non vero tenax. Differt hac ratione *a)* a Cuſcarilla, quæ quidem potius frangitur quam ut in fibras diſcerperetur lignoſas, ſed ſatis tamen eſt tenax, quia gummi habet fere glutinoſum, unde partes eo firmius cohærent, quod facile in ejus fractione & triturationc obſervatur. *b)* De Caſſia caryophyllata idem valet. Præ denſiori China laudatur tenuior,

nuior, sat tamen gravis & mediocriter crassa. Cascarilla levior Chinchina, ut & cassia caryoph. valde tenuis *c)*.

§. VI.

Quemadmodum vero Corticem peruv. optimæ notæ tam a *viliori* sua specie, quam ab aliis *similibus* sola sensuum ope dignoscere possumus; sic etiam differentia apparet *instituta analysi chemica*, quod multæ virorum præclarorum in hunc finem factæ *observationes demonstrarunt*, quarum nonnullas *heic allegare* necesse habeo. Sic enim

Neumannus ex libra Corticis peruv. obtinuit drachmas decem & scrupulos duos Extracti resinosi primi & drachmas sex gummosi secundi; vice versa, drachmas sex & scrupulum unum aquosi primi & drachmas sex resinosi secundi. Destillata libra Cort. peruv. drachmas tres spir. acidi, drachmasque duas olei empyrevmatici impetravit, remanente in fundo terra, maximam partem in igne avolante. Combusta Cort. p. libra remansit uncia dimidia Cineris, ex qua elutriato sale drachmarum duarum, lixivium calcinatum dedit scrupulos duos *salis* alcalini *d)*.

Lemery ex corticis Chinæ chinæ unciis *triginta duo destillatis*, extraxit uncias undecim spiritus & phlegmatis acidi, uncias duas & dimidiam olei fœtidi, & drachmas duas *salis* alcalini fixi *e)*.

Cartheuser ex uncia Chinæ chinæ obtinuit scrupulos duos & gr. XII. Extr. resin. pr. & gr. XXVI. aquosi

---

c) Werlhof Obs. p. 85. & Morton. πυρετολογία p. 172.

d) Neumann. prælect. chem. p. 812.

e) Lemery Cours de Chymie part. 2. p. 40.

aquosi primi. Oleum essentiale fere omnino deficere dicit *f*).

Geoffroi f. ex unciis quatuor & *dimidia* cort. p. destillatis, sibi comparavit unciam drachmas quatuor & dimidiam phlegmatis acidi, cujus partes priores simplici acido, posteriores vero non modo violento, sed etiam alcali urinoso similes fuerunt. Tincturam enim Tournesolis ad rubrum reduxit colorem. Postea drachma una gr. XVIII. olei crassi egressa fuit. Materia nigra in vase residua pondus habuit unciæ unius, drachmarum duarum & gr. VIII. Calcinatione facta pondus ad gr. XV. fuit diminutum, unde per lixivium profecta est semi-drachma salis non mere alcalini, sed ut vocat salsi. Dicit porro Godofredus hic, ex combinatione salis acidi cum partibus oleosis in Cortice oriri resinam, quæ quartam fere ejus efficit partem *g*).

Geoffroi j. Ex drachma cortic. p. pulver. ope balnei mariæ cum Sp. V. digesta & evaporata gr. XX¼ Extr. res. pr. obtinuit. Extractum secundum gummeo salinum erat gr. III½. Vice versa infudit drachmam Chinæ pulverisatæ per 24. horas cum aqua bulliente & gr. XI. Ext. gum. pr. fuerunt egressa; ope Sp. V. residuo affuso habuit gr. III. Ext. res. secundi *h*).

§. VII.

Quamvis vero tentaminum horum eventus satis fuerit dissimilis, dum proportione considerata, quantitas extracti res. pr. Neumanni sit ad Cartheuseri

f) Cartheus. fund. mat. med. p. 487.

g) Matière medicale Tom. 2. p. 317.

h) Histoire de l'acad. royale 1733. p. 205.

theuſeri ref. pr. : : 40: 39, Neumanni vero aquoſi p. ad Carth. : : 15 : 13, Neuman. ref. primi ad Geoff. ſen. ref. pr. fere : : 4 : 9, Neum. aquoſi primi ad Geoffroi ſ. aqu. pr. : : 19 : 96, Neum. ref. p. ad Geoffroi j. ref. pr. : : 1 : 3, Neum. aquoſi ſecundi ad Geoffroi j. aq. ſec. ut 15 : 14, Neumanni reſin. ſec. ad Geoffroi j. ref. ſ. : : 5 : 4, Cartheuſ. ref. pr. ad Geoffroi ſenioris Extr. ref. primum : : 13 : 30, Cartheuſeri aqu. pr. ad Geoff. j. reſin. pr. : : 13 : 41, Geoffroi ſen. ad jun. Extr. reſin. pr. : : 30 : 41; ex ipſis ſatis tamen patet, *Chinchinam conſiſtere ex partibus gummoſis, reſinoſis*, oleoſis, ſalinis & terra quadam. Quæ vero deſtillatione, & alias vi ignis ex illa obtinentur, non ut veræ partes conſtitutivæ, ut optime monuit doctiſſimus Lemery *i*), conſiderandæ, ſed potius ut producta partium vi ſeparatarum, quibus nec *totius ſubſtantiæ vis, nec partis alicujus, inhæret*, quare *hæc analyſis nullius haberi poteſt momenti*, quia nullum in medicina partes ita ſeparatæ habent uſum. Interim videtur, differentiam ſupra mentionatam ortam fuiſſe vel ab ipſa Corticis diverſa conditione, vel diverſo modo procedendi. Si ad perfectiorem ergo partium conſtitutivarum Chinæ chinæ cognitionem pervenire cupimus, regulas a Doctiſſ. Domino Profeſſore Roſén in *Diſſert. Lund.* habita præſcriptas, ſequamur neceſſe eſt. *Nempe* ut referamus, 1) quale & qualis fuerit *quantitas menſtrui* adhibiti in analyſi inſtituta, diverſitatem aquæ, vini vel ſpirit. vin. 2) Tempus anni. 3) Pondus atmoſphæræ. 4) Vas clauſum vel apertum. 5) Coctionis intenſitatem, durationem & plura. His regulas ergo ſequuturus, quo partes Chinæ conſtitutivas ipſe viderem, analyſin

i) Lemery cours de chymie p. 2. pag. 29.

lyſin ejus, methodo ſimplici, naturæ conformi & ad uſum medicum neceſſaria, coctione nempe cum aqua & infuſione cum Sp. Vini, inſtitui. Sumſi nempe anno præterito 1757. tempore autumnali, cœlo ad maximam partem nebuloſo, uncias quatuor Chinæ chinæ ſecundum omnia criteria ſenſualia ſelectæ; has tribus vicibus, quacunque vice ſemihora, & cum unciis quadraginta quatuor aquæ fluvialis, fortiſſime, vaſe aperto coxi, usque dum colatura totius ſummæ ad uncias quinquaginta erat redacta. Hæc erat coloris ex albo rubicundi, (quod nota eſt Cort. optimi,) & reſiduum, ſaporis ſatis adhuc amari, pondus habebat unciarum duarum, drachmarum ſex & dimidiæ. Decoctum hoc poſtea leni calore evaporavi, & drachmas novem & dimidiam Extracti gummoſi primi, ſaporis valde amari & coloris nigricantis, accepi. Reſiduum terreum jam dictum, per 8 dierum ſpatium cum libris duabus Sp. Vini rectific. infudi, poſtea evaporavi & obtinui drachmas duas & dimidiam Extr. reſinoſi amariuſculi & paulo aromatici odoris, coloris vero fuſci. Reſiduum decem drachmarum per nonnullos poſthæc iterum dies cum Sp. V. rect. extraxi, facta vero præcipitatione nullam impetravi Reſinam, quamvis Sp. colore rubro eſſet tinctus. Quæ heic in pondere deſiderantur, partim in filtro, partim in vaſe & evaporatione ſunt amiſſa. Vice verſa quoque unciam unam Chinæ ſelectæ cum Spir. Vin. per quatuor dies, nulla præmiſſa coctione, infudi, & facta evaporatione drachmæ tres fere remanſerunt Extracti reſ. primi, odoris fragrantis & jucundi, ſaporisque Ext. gummoſ. pr. longe amarioris. Reſiduum Corticis cum libra una aquæ fluvialis per 2 horas fortiſſime fuit coctum, & facta inſpiſſatione obtinui drachmam unam granaque decem Ext. aquoſ. ſecundi mediocriter amari. Reſiduum quatuor drachmarum omni ſa-

pore

pore erat privatum, quo vero certiorem me facerem, anne Gummi eſſet purum vel Reſina mixtum, per diverſos dies unciam unam Extr. gummoſ. pr. loco calido cum aqua digeſſi, quo tempore drachmæ duæ & grana viginti ſex erant præcipitata, quæ ad conſiſtentiam redacta, reſinæ non multum erant diſſimiles; reliqua in aqua ſoluta erant. Extr. reſ. pr. drachmam unam pari modo cum aqua, calorem fere ſanguinis humani habente, per 6 dies digeſſi, quo tempore pondus ad grana quinque, in aqua hac ſoluta, erat diminutum, quæ tamen loco frigido expoſita iterum præcipitabantur. Sapor vero valde amarus reſinæ & odor aromaticus hac digeſtione ſatis erant diminuta. Ex quo patet, Cartheuſerum recte de China prædicaſſe, ſubſtantiam reſinoſam cum gummoſa intime combinatam eſſe & cohærere, & neutram extractione vel cum aqua vel vino & Sp. V. perfecte puram obtineri.

§. VIII.

Quanta vero erat illa differentia Corticis peruviani ab aliis ſimilibus, quam ope ſenſuum cognoſcere poſſumus, (§. 4.) tanta fere quoque eſt diſcrepantia ratione partium conſtitutivarum ejus & aliorum. Extr. enim reſ. quantitas ſemper ſuperat eam Caſcarillæ & aliorum Corticum ſimilium quantitatem. Extracto quidem aquoſo præ China abundat Caſcarilla ſecundum Neumannum; ego vero numquam ex hoc Cortice tantum extrahere potui, quamquam ter experimenta eandem ob rem inſtituerim. Oleum porro eſſentiale deficit in China, quod in Caſcarilla reperitur. Refert enim Neumannus *k*), ex Libra una Cort. Caſcarillæ ſe fere drachmam olei obtinuiſſe, & ex libra una Caſcarillæ

k) Neuman, prælect. chym. p. 811.

ſcarillæ uncias ſex Extr. aquoſi pr., & unciam unam, drachmas quinque, ſcrupulosque duos reſin. ſecundi. Vice verſa ex unciis duabus & dimidia, ſcrupulum unum reſinoſi primi & uncias duas & dimidiam aquoſ. ſecundi; ex libra una vero igne aperto deſtillata, uncias duas & dimidiam Olei empyreumatici, & ex eadem Corticis quantitate combuſta drachmas decem Cineris.

Cartheuſer ſimili modo ex libra una Corticis caſcarillæ deſtillata drachmam unam habuit olei eſſentialis, ex uncia una vero drachmas duas ſcrupul. duos Extr. aquoſi pr., & reſinoſi pr. ex uncia drachmas duas & ſcrupulum. Ex caſſiæ caryophyllatæ libra vix drachmam unam Extr. reſ. & ſcrupulum dimidium gummoſi ſecundi impetravit. Secundum ejus opinionem oleum eſſentiale deficit *l) m)*.

Ex uncia Corticis caſcarillæ drachmas duas & dimidiam Extr. gummoſi pr. & ſcrupulos duos reſin. ſecundi, ex Caſſia car. vero unciam, grana viginti octo Extr. gum. pr. & reſinoſi ſecundi grana viginti quatuor extrahi poſſe, expertus novi.

§. IX.

MODUS OPERANDI GENERALIS.

Ulterius naturam horum pharmacorum quidem ob defectum occaſionis indagare non potui. Si hæc mihi fuiſſet, ſal præſertim eſſentiale a Nobiliſſimo Archiatro regio & Equite de ſtella polari, de noſtraque Academia, præcipue de Facultate medica meritiſſimo Dn. Profeſſore Roſén, meo quondam

l) Cartheuſ. fundam. m. p. 165.

m) Cartheuſ. t. I. p. 187.

dam Præceptore fidelissimo, in Suecia per nonnullos annos usurpatum, e Cortice peruviano extraxissem, quo viderem qua copia in ipso detur. Spero vero, fore ut tempus & occasion in posterum magis mihi faveant, atque ut me ad perfectiorem partium constitutivarum Corticis cognitionem, viriumque uniuscujusque speciatim conducant atque eo viam ostendant. Interim methodus præparandi hujus salis, quam in Chemia hydraulica 1755. Parisiis in oct. impressa, tradidit Comes de la Garaye, mihi non est ignota. Novi etiam Godofredum in actis Academiæ scientiar. Par. 1749. Sal hoc pro subtili extracto resinoso habere. Comes de la Garaye hoc, aliaque vegetabilium salia essentialia, post debitam vegetabilium cum aqua infusionem, triturando, præparandum esse, dicit; quæ tamen methodus nimium videtur molesta. Hodie per coctionem & inspissationem in orbe argillaceo (*porcelin-tallrick*) perficitur.

Jam vero ordini præscripto convenienter ulterius progredior, pro facultate mea generaliter demonstraturus, quomodo in corpore humano vivo agat Cortex, quo posthæc utilitatem & damnum secundum modum vel in febribus vel aliis morbis applicandi ejus, recte distincteque deducere possim.

Sicuti vero actiones duarum rerum ad se invicem, quarum una sensus nostros plane effugit, a priori prorsus deduci non possunt: & omnia, quæ hac in re de Chinchina dici possunt, quia vera indoles naturaque caussæ materialis seu fermenti febrium, nec non eorum morborum qui Cortice peruviano felliciter sanantur, nobis fere adhuc est incognita, solummodo a posteriori, sive ex effectibus in corpus nostrum, & actiones speciatim vita-

les, naturales, & animales productis, erunt deducenda. Et hanc viam ad propositum meum implendum ingrediar, vitium eorum eo certius evitaturus, qui subtilissimis figmentis & conjectationibus ingeniosis has actiones demonstrare voluerunt, quæ tamen ex phænomenis solis explicari possunt. Quo vero a proposito eo minus aberrem, diversa tentamina cum Cortice tam in proprio, quam aliis corporibus institui, multaque cum industria mutationes in eis post Corticis usum factas annotavi & observavi. Sequenti vero modo procedebam. Sumsi nempe in os granum unum Extract. aquosi primi corticis, post meridiem hora 4. 16. min. quod tamdiu in lingua habui, donec omnino a saliva solutum fuit. Extracto a lympha salivali liquefacto, statim consuetum saporem amarum corticis cum sensatione leniter adstringenti percepi in dorso linguæ, palato, & tandem, cum solutum deglutirem, in faucibus. Extractum hora 5 plenarie erat solutum, amarities vero & perceptio dicta, primis hujus temporis intervalli minutis, 44 nempe, ad finem usque tentaminis, mihi non videbatur mutata, sed potius sibi semper similis; eam tamen palati quam tangebat partem Extractum, quia in dorso linguæ habebam, tandem aridam sensi. Sapor amarus sensatioque antea dicta leniter adstrictoria, post plenariam Extracti liquefactionem 5 circiter minutis, eadem intensitate durabant, successive postea remittebant; integra tamen hora post, quamvis debilius, sensationes has dictas percepi. Perceptionem hanc adstringentem alia quoque mutatio, aucta nempe liquoris salivalis secretio, comitabatur, ut liquidum illud sæpius deglutire coactus essem. Hæc cum sensatione adstrictiva idem habuit initium, eademque ratione aucta fuit, Extracto vero soluto cessavit, ad naturalem ante ejus assumtionem statum, restituta. Punctum dictum

palati

palati ad horam 5¼ erat ſiccum. Sequenti die hora 5 27 min. poſt meridiem, ſimili modo granum unum Extr. ſpirituoſi primæ præparationis, ſive reſinæ, ad linguam admovi, & pari cum eo ratione, quam cum gummoſo, procedebam. Amarus Corticis ſapor multo heic erat jucundior & magis aromaticus, reſina vero palato ſtatim adhærebat, quando linguam ei admovebam, ſaliva vero emollita, remittebat. Vis conſtrictoria intenſior, ſecretio vero lymphæ ſalivalis copioſior mihi videbatur. Phænomena hæc cum ſapore amaro-aromatico, non ſolum ad plenariam reſinæ diſſolutionem & cum ſaliva deglutitionem, quæ hora 6 59 min. ſequebatur, verum etiam 28 minut. poſt duravit. Hora 7 27 minutis lymphæ ſalivalis ſecretio naturali iterum procedebat ordine. Amara vero & adſtringens ſenſatio ad horam circiter 8 continuabat, antequam omnimoda ſuccederet remiſſio. Sequenti die p: m. hora 7 11 min. pari ratione corticem pulveriſat. inveſtigare cœpi. Grana quatuor ejus ſumſi, quæ linguæ vix admota, ſtatim ſaporem amarum, ſenſationemque adſtrictivam ſatis manifeſtabant, & extractorum amaritiem & vim adſtringentem multum ſuperabant. Hora 7 30 min. omnes pulveris activæ partes jam erant ſolutæ, reliquum maſticatione plane inſipidum animadverti. Secretio ſalivæ per diverſa ejus organa, amaritiei & adſtrictioni erat proportionata, conſequenter multo copioſior quam occaſione extractorum. Hora 8 50 min. naturalis hujus humoris ſecretio iterum erat reſtituta, & non multo poſt hora 9 ſapor amarus & vis adſtrictoria ceſſabant, quamvis dorſum linguæ, palatum & fauces ſatis eſſent ſicca.

Die p. mane hora 10 39 min. granum unum ſalis eſſentialis corticis, methodo Nobiliſſimi & Celeb. Arch. Roſén parati, in os ſumſi, quod ſta-

tim a saliva adgressum intra 3 minutorum spatium erat solutum. Sal hoc saporem habebat resinæ primæ præparationis hujus pharmaci, uti illa palato adhærebat, secretionemque efficiebat auctam lymphæ salivalis. Effectus hic, & jam dictæ aliæ proprietates, longe minori gradu heic aderant; Sapor enim amarus hora XI. prorsus cessabat, secretio vero aucta salivæ ad horam 11 & 4 min. durabat. Salsum hoc sal gustum linguæ non imprimebat aliis quibus dedi, nec alium quam leniter amaricantem in eo animadvertere potuerunt. Videtur ergo hoc Sal esse purum amarum, quod vero non majorem cum aliis sic dictis salibus amaris e. g. Seidlizensi vel Centaurii min. habet similitudinem ratione saporis, quam convenientiam coloris aliarumque proprietatum.

Die f. vesperi hora 7 46 min. similiter tentamen cum grano Extr. ref. secundi institui; saporem vero amarum, sensationemque adstrictivam & secretionem auctam liquoris salivalis, minori gradu, quam in antecedentibus percepi. Hora 8 25 min. a saliva plane erat solutum, anteque horam 9 omnes ejus cessabant effectus. Die p. post m. hora 4 55 min. granum unum Extr. gum. sec. sumsi, quod hora 5 10 min. a saliva erat liquefactum. Hora 5 26 min. secretio liquidi salivalis debito iterum procedebat ordine, & hora circiter 9 omnis jam cessaverat amarities & sensatio adstrictoria.

Omnes has substantias postea dupla quantitate adhibui, & effectus antea narrati semper eorum respondebant quantitati; Cortex vero Chinæ in substantia pulver. ad grana duodecim adhibitus, os tali modo constrixit, ut vix sustinere possem, donec a saliva partes activæ ejus solutæ, elementumque terreum ejus insipidum esset relictum. Curiositas

ſitas tamen omnem movit lapidem, ut tentamen recte finire poſſem. Primum valde augebatur ſalivæ ſecretio, non vero tali proportione, quam antea, ſed breviori tempore diminuebatur. Præternaturalem deinde percepi in lingua, faucibus, præcipue labiis oris, palatoque calorem. Amarus ſapor perceptioque adſtrictiva longius heic durabant, nec ante horas $2\frac{1}{2}$ finitas ceſſabant. Deglutitio ſalivæ, quæ Corticem ſolverat, maximam in hoc tentamine afferebat moleſtiam. Pharynx enim eo quaſi clauſus videbatur, reſiſtentiamque exercebat ſatis perſpicuam. Extracta corticis ad grana tria ſumta alium effectum non edunt, quam maſſæ, ponderi eorum ſecundum priora tentamina proportionatum. Præternaturalis vero calor cum ſiccitate nonnulla partium adgreſſarum, poſt ſolutionem eorum percipiebatur. Alio tempore Decoctum corticis & Infuſum vinoſum tamdiu, quam fieri potuit, in ore habui. Hoc os valde calefecit; alias eosdem quam a cortice pulveriſato animadverti effectus. Illud vero os fere magis pulvere adſtrixit, omnia alia erant eadem.

Quo vero actiones quoque Corticis ejusdemque præparatorum in aliis experirer ſubjectis, ſimiles meis tentationibus amicos nonnullos ut cum eo, ex ipſoque extractis, inſtituerent perſuaſi. Primus qui mihi gratificabatur erat Vir quinquagenarius, temperamenti ſanguineo-cholerici & proſperæ admodum valetudinis. Ille poſt mer. hora 4 grana Corticis pulveriſati ſumſit, per totumque os duxit. Saliva vix admixta, ſtatim conſuetum ſaporem amarum & adſtringentem percepit, cum paulo majori ſalivæ affluxu. Sapidis omnibus & activis partibus Cortex jam hora 4 20 min. erat privatus, quo inſipidum & inutile ore ejiciebatur. Minutis circiter 3 poſt ſecretio ceſſabat aucta ſalivæ, os

vero hora 5 ficcum valde & præter naturam calidum, præcipue ad labia, margines linguæ faucesque erat. Certiorem me fecit ille Vir, se solutum cum deglutiisset, sensationem sibi valde molestam adstrictoriamque in faucibus & pharynge percepisse. Porro retulit, saporem amarum constrictoriamque sensationem ad horam 6 perdurasse, quod phænomenon in fine observationis tanta vi in labia egerat, ut nisi cum molestia moveri non potuerint. Hora ad 7 vergente interna oris superficies tandem humida iterum, aliasque omnia in hac cavitate in naturali fuerant statu.

Idem Vir die sequenti hora 7 grj. Extr. ref. pr. sumsit, quod dimidiæ horæ spatio elapso erat solutum. Non multo post hora 7 26 min. non valde auctum salivæ notavit adfluxum, eo vero majorem tunicæ fauces internamque oris cavitatem vestientis constrictionem. Plenaria extracti solutione facta, sapor amarus magis se manifestavit, paulo post vero successive decrevit, hora $8\frac{1}{2}$ penitus cessavit. In hoc vero tentamine, pari ratione ac in priori, post horam 8 inconsuetam oris, labiorum, palati, marginumque linguæ percepit calorem siccitatemque, quæ hora 9 evanuerunt.

Die sequenti grj. Extr. gummosi pr. prehendit, quod solutione absoluta, præter amaritiem sensationemque satis adstrictoriam, mutationes alias novas non produxit, horis $\frac{1}{2}$ hæc quoque dicta phænomena cessarunt.

A grj. Salis essentialis adhibito saporem non ingratum amarum per horæ spatium, & paulo auctam salivæ secretionem per $\frac{1}{2}$ horæ animadvertit, quibus mutationibus & hæc phænomena finem consecuta fuerunt.

Secun-

Secundus, qui mecum inſtituit experimenta, erat Juvenis 18 annorum, temperamenti ſanguineo phlegmatici & ſanitatis proſperæ. Adhibitis ab eo gr. IV Corticis Chinæ pulveriſatæ hora 3 55 min. p. m. linguæque admotis, ſtatim ſolitum ſaporem amarum inconſuetamque tunicæ internam oris cavitatem veſtientis conſtrictionem, ſecretionemque auctam ſalivæ obſervavit. Hora 4 5 min. inſipidus, omnique vi jam erat privatus pulvis, quare deglutiebatur. Os vero ipſum poſtea quaſi ſiccum fuit, quod ſemper augebatur, nec ſapor amarus & rigiditas præternaturalis, quam amicus meus ille a hora 4 in labiis, margine linguæ, palato & faucibus ſenſerat, quam hora ſexta finem conſecuta eſt.

Sequenti die ante meridiem hora 4 ipſiſſimus ille vir juvenis grj. Extr. reſ. pr. ore ſumſit. Intra 3 min. ſpatium plane erat ſolutum. Senſatio adſtrictiva erat mediocris, ſecretio lymphæ ſalivalis ei proportionata. Ambo phænomena, cum ſapore non ingrato amaro, ad horam fere 12 perduraverunt. Seq. die a m. hora 9 grj. Extr. gumm. pr. ſimili modo ab eo fuit tentatum. 4 min. ſaliva illud liquefecerat; ſapor amarus &c. majori quam a reſina heic videbantur adeſſe gradu; poſteriora vero duo phænomena breviori tempore evaneſcebant, hora enim 10½ ceſſarunt. Sapor vero amarus leniſque ſiccitas palati, marginum linguæ, labiorumque, quæ hora 10½ ſe manifeſtaverant, perſiſtebant ad horam fere 12.

Extr. gum. ſecund. & reſinoſ. ſec. ſimili modo tentamina talia perpreſſa fuerunt, & eadem phænomena gradu minori & breviori tempore, quam priora, produxerunt.

§. X.

§. X.

Tentaminibus quidem his ulterius fuiſſem progreſſus, quo obſervata propoſito meo eo melius applicari potuiſſent; occaſio vero mihi defuit, quare commoda ex ipſis ſequentia miſſa faciens, ad tempus magis idoneum hoc differre coactus fui. Si vero totam eorum in compendio conſideramus ſummam, ſequitur Corticem in ſubſtantia adhibitum, efficacius agere quam Decocta, quæ non multo ſunt inferiora. Extracta vero ratione priorum minus conſiderabilem habent agendi vim, & Sal eſſentiale omnibus his eſt inferius. Cum Sale lixivioſo nulla hujusmodi experimenta inſtitui, quia naturaliter cortici ineſſe affirmare non poſſumus, ſed potius eſſe productum artis, quod vim aliis ſalibus alcalinis ſuperiorem habere non videtur. Ex obſervatis *ſpeciatim* ſequitur:

1) Omnes corticis, ipſiusque Extractorum & ſalis eſſentialis, partes activas, per ſalivam lymphamque oris plane diſſolvi, partesque intime combinari, ut novum inde oriatur compoſitum.

2) Diſſolutionis combinationisque dictis cum humoribus initio facto, ſtatim fibras ex quarum textura oritur tunica, cavitatem oris, linguam, fauces pharyngemque veſtiens, nec non inter eam diſperſas fibrillas nerveas, ad vividiores & auctas actiones irritari.

3) Secretio oritur ſalivæ & lymphæ oris huic actioni proportionate aucta.

4) Mutationes hæ Not. 2. & 3. ad plenariam vel Corticis ipſius, vel Extractorum, vel Salis eſſentialis ſolutionem perſiſtunt.

5) Tunc

5) Tunc N. 3. dicta mutatio, aucta nempe salivæ secretio, successive diminuitur, & tandem successive definit, tali modo, ut magis vel minus considerabilis oris siccitas, fibrarumque cutis ejus rigiditas &c. quæ majori vel minori activitati rei assumtæ, vel sensibilitati subjecti convenit, inde ad tempus sequatur.

6) Hæc vero mutatio a se ipsa cessat, in oreque oritur talis status, qualis fuerat ante Chinam assumtam. Heic monendum, neminem durante observationis tempore ullum adhibuisse humidum; quare effectus accurate observari potuerunt.

§. XI.

Quo vero ulterius mutationes a Cortice in corpore productas experirer, simul cum amicis meis antea dictis eum per nonnullos dies in Substantia, Decocto, Extractis, & Sale essentiali interno usui eum in finem adhibuimus. Pulvere experimentorum initium fecimus, quod Vir ille quinquagenarius, Juvenis, atque ego ipse, mane, ante meridiem hora XI, post meridiem hora V, per quinque dierum spatium, ad scrupulum, & ad scrupulum unum & dimidium quacunque vice, adhibuimus; frater vero meus, puer 12 annorum, tempore dicto gr. XV. semper usus fuit. Vir quinquagenarius & ego duobus primis diebus, tempore circiter meridiei, in stomacho pressionem, in orificiis vero, præsertim superiori, constrictionem animadvertimus, qua paulo difficilior facta respiratio; in ipso vero pectore nulla sensibilis aderat mutatio; sensationes hæ duæ præternaturales post prandium cessabant, hora vero sexta pulveris usu repetito erant reduces, ad horamque 7 & 8 perseverabant. Diebus tribus postea sensationes has non percepimus, forsan quia statim post adsumtum

tum pulverisatum corticem aquæ coctæ nonnullas mensuras bibimus, quod primis diebus fuerat intermissum, qua pulvis magis in ventriculo fuit dilutus & ubicunque æqualiter dispersus. Alter amicorum meorum, & frater meus, phænomena hæc non perceperunt, forte quia fibræ ventriculorum eorum tanta non gaudent sensibilitate, nec non quia secretio lymphæ gastricæ majori quantitate procedebat, quam in nostro corpore; quare æquilibrium in fibris ventriculi, cujus malam conditionem caussam habent 2 hæc phænomena, in ipsis fuit immobile. Vir iste & ego post assumtum hoc pharmacum, primis 3 diebus, præter dictas, nullam aliam animadvertimus mutationem, quam pulsus quandam elevationem, qui ei per min. 70 & 71, mihi vero semper 70, tam ante quam post assumtam Chinam erat. Ille vero die quarto alvum deponendi primo difficultatem, & postea obstructionem plenariam ejus, uti & oppressionem in pectore, animadvertit, quæ phænomena die octavo, & consequenter 3 diebus post usum chinæ finitum, sponte sua cessabant. D. W. pulsum per Chinchinam, qui antea in minuto ei erat 60 ad 70, & ergo 10 ictibus auctum percepit. In fratre meo vero a 90 ad 110, & ergo 20 ictibus auctus fuit. Mutationes hæ nominatæ ad vesperam dicto modo in nobis omnibus perstiterunt; postea vero die seq. mane numerus consuetus pulsuum 70 & 71, 80, 60 & 90 aderat; pulsus vero robur in dies magis magisque augeri videbatur. D. W. juxta auctum robur quantitatemque pulsuum, respirationem etiam intensiorem percepit, ambo vero actus, præcipue inspiratio, quadam cum molestia succedere videbantur. Anne symptoma hoc sola fuerit consequentia circulationis auctæ, vel spasmi orificiorum ventriculi, & consequenter æquilibrii stomachi aliorumque viscerum sublati, vel nervorum diaphragmatis

matis, vel cordis ipsius, heic adhuc non erit decidendum. Alias nullas in actionibus animalibus, in naturalibus vero plane nullas, excepto viro quinquagenario, experti fuimus mutationes. Diebus tamen quibus assumsimus, nec non per nonnullos dies post, majorem roboris gradum, functionumque alacritatem, nos consecutos fuisse videbatur. Decocti deinde Corticis ego unciam unam, & frater unc. dimid. quotidie per nonnullos dies assumsimus, unde omnia supra dictas commoda, nullam vero observavimus molestiam. Extracta simili modo per diversos dies quotidie 3 vicibus adhibui, primo ad gr. XII. postea gr. XX. ab iisdemque omnes, quam a Decocto, quamvis minori gradu observavi effectus. Sal essentiale ad gr. XX. assumtum, præter elevationem pulsus parum sensibilem, nihil aliud produxit.

§. XII.

In ægrotis præcipue, qui præterito anno, initio autumni, febre tertiana epidemica laborabant, sequentes observavi post usum Chinæ, mutationes:

1) In pulsu, numerum pulsuum diminui, robur vero eorum magis augeri. Cum enim numerarem sub frigore febris pulsationes in nonnullis 96, in aliis 100, 106 & 110, sub calore vero 100, 106, 120 usque ad 126, tandemque in ultimo stadio seu tempore criseos, principio, supra dictum numerum hunc, qui tamen successive decrevit, donec paroxysmus 90, 96 erat finitus; diebus vero intercalaribus hora post omnem lecti calorem jam amissum, 90, aliis 94-96-98, raro centum; post Chinam vero assumtam, 65, 70-76-80 & raro 90 pulsationes: patet, quanta fuerit mutatio in corde arteriarumque systemate per corticem producta.

ducta. (De adultis vero heic loquor, in pueris enim & infantibus ſecus res ſe habet.) Nonnulla quidem heic adeſt diſcrepantia cum obſervationibus, a Celeb. Hallero de numero pulſuum in febre laborantibus factis, hoc vero climati, victus rationi & aliis circumſtantiis erit adſcribendum.

2) Appetitum obſervavi auctum jam in nonnullis uno die poſt uſum Chinæ, qui tamdiu perduravit, quam ad plenariam febris curationem Cortex fuit continuatus. *Alios vidi, quibus non tam* cito ſuccedebat, tamen ad finitum Corticis uſum perduravit; & alios adhuc, ubi appetitus, quamvis per tempus aliquod per Chinam fuerit excitatus, tamen poſt nonnullos dies diminutus, ut & aliquando in plenariam anorexiam permutatus fuit. Phænomenon vero hoc poſterius in iis ſolum animadverti, qui Cortice uſi fuerant, antequam debite purgatæ primæ viæ, & mucus in ipſis ſanguineque hærens reſolutus atque mobilis factus, materiæque morboſæ coctio perfecta eſſet. Non tamen negaverim, aliam quoque quandam malam corporum horum ſubjectorum conditionem, dictorum aliorumque cum iis combinatorum phænomenorum fuiſſe cauſſam ſociam.

3) Excretiones naturales multum mutatas, & quidem

a) Urinæ; 1) majori enim quam antea copia ejus ſuccedebat ſecretio. 2) Color fuit permutatus a fulvo vel intenſe rubro vel pallido, quod tamen raro vidi, in colorem Corticis citri magis vel minus appropinquantem. 3) Clara & pellucida inde facta eſt urina, cum nubecula majori vel minori, quando poſt paroxyſmum febris vel turbida mucoque bilioſo mixta, vel ſedimento lateritio erat prædita.

b) Ex-

b) Excretionis cuticularis. Cum enim ea diebus intercalaribus vel plenarie, vel maximam ad partem eſſet ſuppreſſa, vel & minimo etiam caloris gradu eam ultimi ſtadii æquaret, ſucceſſive correctam ad naturalemque ordinem redactam obſervavi.

c) Excretionis alvinæ. Ea enim vel nimia vel ſuppreſſa a Cortice ad naturalem ordinem fuit redacta.

Effectus ergo hucusque dicti corticis non ſolum *in ſano*, verum etiam *in morboſo* corporis ſtatu obſervantur; quamvis ſatis jam pateat, per uſum ejus hoc caſu diverſas alias quoque oriri mutationes. Non vero eſt hujus loci, veritatem hanc explanare uberius, morbos vero, quos ut efficaciſſimum & certiſſimum remedium profligat China, conſideraturus, ulterius hoc demonſtrare conabor; heic vero ſolum quod experientia docuit, annotare volui.

§. XIII.

Ex his vero omnibus clarum eſt & perſpicuum, pharmacum noſtrum, partesque ope chemiæ ex ipſo extractas, in ſubjectis diverſæ ætatis & conditionis, easdem plane experiri mutationes, iisdemque omnibus eosdem rurſus producere effectus, omnemque in hoc caſu diſcrepantiam vel in majori vel minori actionis intenſitate, vel longiori vel minus longa duratione, conſiſtere. Neminem vero jam fugiet, Corticem corpori vel una vel alia forma admotum, in partes duas principales, ejus ſolida nempe & fluida, agere. Agit vero in ſolidas mobiles partes inſtar ſtimulantium & corroborantium, quia poſt ejus applicationem, & diſſolutionem, actiones earum fiunt vegetiores & alacriores, &

effectus proportionate augentur, cohæsio vero fibrarum earum postea auctior, actioque in initio fortior, in fine minor, & quod ab ea ratione secretionis lymphæ dependet, sequitur, quæ tamen circumstantiæ posteriores sponte sua cessant, partesque ad pristinum ante Chinæ applicationem statum, quamvis multo melioratas, restituunt. Jure ergo meritoque, uti ex antea dictis sequitur, cortex consideratur & declaratur ut remedium vere stimulans & roborans, quod debite adhibitum, post ejus operationem, nec nimiam partium firmarum cohæsionem vel rigiditatem, nec earum atoniam vel debilitatem relinquit. In fluidas vero corporis nostri partes agit partim *immediate*, quia a saliva, & sic ab omnibus humoribus ei similibus, plane dissolvitur, consequenter cum illis chyloque mixtum in sanguinem transit, cum sanguine vero intime combinatur, respectu nempe principii balsamici, quod omni probabilitati convenienter saltim ad partem in naturam humorum nostrorum permutatur, & tali modo ad reparationem circulatione consumtorum, a natura simul cum succo nutritio ex chylo confecto, mixtum, corpori applicatur. *Mediate* vero in fluida agit per solida, quorum vim actricem, ut supra demonstratum, roborat. Sicuti ergo per vires motrices solidorum auctas omnes a solidis dependentes actiones, vitales, naturales & consequenter ipsæ animales, generaliter necessaria proportione augentur; extra dubitationem positum est, per intimam combinationem & mixtionem partium corticis activarum cum sanguine nostro, crasin ejus non modo mutari & meliorari, verum etiam actionem in solida supra dictam, ex hac parte novas consequi vires & robur. Natura rei has cogitationes videtur defendere, sicuti a sano ratiocinio non sunt alienæ. Propugnat ipsas quoque experimentum, a Viro in detegendis physi-

cis

cis veritatibus acutiſſimo & ſolertiſſimo, Dn. Hales, cum Decocto corticis Chinæ inſtitutum, quo arteriæ non modo ſenſibiliter contractæ fuerunt, verum etiam ad partem tonum auctum plane retinuerunt, quamvis omnem ad naturalem eas rurſus redigendi diametrum impenderit operam Dn. Hales, Phyſicus hic celebris *n*). Objectio quidem

n) Hales Hæmaſtatic, or Statical Eſſays, Vol. 2. pag. 131. Exp. XVI.

1) I made a ſtrong Decoction of Peruvian Bark, boiling a Pound of it in three Gallons of Water to two; when cold it was filtrated ſeveral times thro' a Flannel Bag. The Day following I prepared and ſlit the Guts of a young Spaniel Bitch as in the foregoing Experiment.

2) I firſt poured into the Tube which was fixed to the Aorta, four Pots of warm Water, containing eighteen cubic Inches each, the laſt of which paſſed of in 62″ of time. Then I pourred in ſucceſſively ſixteen Pots of equally warm Decoction of Bark, the firſt of which paſſed of in 72″ and the following ſlower and ſlower, in proportion as the Veſſels grew more and more contracted by the ſtiptic Quality of the Decoction, ſo that the 16 th Pot was 224 in Paſſing.

3) Then I poured in ſucceſſively eleven Pots of Water of the ſame Heat with the Decoction, the firſt of which Pots was 198″ in paſſing, and the ſucceeding ones paſſed ſooner and ſooner in proportion as they waſhed of the Decoction, and thereby relaxed the Coats of the capillary Veſſels, til the eighth Pot which paſſed in 96″, after which the three following Pots of Water paſſed of in the ſame time, the Veſſels relaxing no farther. Is was not to be exſpected that the Water ſhould ſo far relax them as to paſs off in 62″ of time, which the abovementioned fourth Pot of Water did in this Experiment; for I always found that by a long Continuance to pour in the Water, the Veſſels did gradually let leſs and leſs paſs; the Capillary Veſſels being compreſſed by the Water that inſinuated into all Parts of the Coats

heic locum habet, rem in corpore vivo ſecus ſe habere, & hoc etiam concedo; eſſentialem vero adeſſe diſcrepantiam, inter actiones corticis in animali nuper mortuo, & vivo, neminem quidem aſſentire poſſe, exiſtimo, qui experimentum paulo accuratius conſideraverit, nec non obſervationibus Cel. Dn. Haller, aliorumque celeberr. phyſicorum, edoctus fuit, ſenſibilitatem & irritabilitatem partium ſolidarum corporum animalium, & inde dependentem facultatem agendi & patiendi, non ſtatim evaneſcere, ſed poſt mortem per magnum ſatis adhuc temporis intervallum perdurare o). Tota vero reſpectu actionis differentia judicio meo conſiſtit in eo, quod decoctum in experimento dicto *immediate* egerit, cum hoc in corpore vivo per ſanguinem fiat, quare in hoc caſu effectus ſunt debiliores. Sicuti vero hoc experimento mea de

modo

Goats of the Guts, ſo as to make them much thicker than they were at firſt; now the Conſtriction which is thus occaſioned can only be inlarged by the affuſion of much hotter Water, as was done in the foregoing Experiment; whereas the Conſtriction of the Veſſels which is owing tho the ſtiptic Quality of the Liquor, is we ſee, in this Experiment and others, manifeſtly taken away by the relaxing Quality of the Water, which waſhes away the ſtiptic Vertue.

4) I then poured in ſucceſſively five Pots of cold pump Water, which was fourteen Degrees above the freeing Pot of warm water paſſed in 96″, the fifth Pot of this cold Water was 136″ in paſſing.

5) I tried in like manner a ſtrong Decoction of Oak Bark on another Dog, in which the preceding Pot of warm Water was 38″ in paſſing, but the following ſix Pots of Decoction ſo contracted the Veſſels that the laſt of them was 136″ in paſſing.

o) Diſſ. de M. Haller ſur les parties irritables &c. avec la Préface de M. Tiſſot, pag. 43. 44. 52. 56.

modo Corticis operandi defenditur idea; ita quoque ſcripta clariſſimorum virorum, Fr. Hoſmanni, Werlhof, van Swieten & aliorum ipſius ſunt apologiæ, dum pharmaco huic eandem, quam ego, vim attribunt corroborantem, & conſequenter ſtimulantem, quia in operatione hæc illam antecedit; quare neceſſaria conſequentia ex hac tam manifeſta ejus proprietate actiones in corpore deducantur, neceſſe eſt. Celeberrimus quidem Stahl efficaciam ei ſolum adſtrictoriam, & quidem impetuoſe, ut dicit, adſtrictoriam, adſcribit, cum aliisque adſtringentibus ad unam refert claſſem; hoc vero ab ipſa experientia, & ſenſibus noſtris propriis, refutatur. Acerbiſſimus Acaciæ ægyptiacæ ſuccus, inquit van Swieten *p*), ſi ad pauca tantum grana ore retineatur, omnia contrahit, omnia oris interni vaſcula inhalantia & exhalantia ſic ſtringit, ut per ſemiquadrantem horæ os totum ſicciſſimum maneat. Ipſe grij ſucci hujus ſine vehiculo deglutivi; finitis vero 3 minutis, vehementem orificiorum ventriculi, præſertim ſuperioris, conſtrictionem, difficilem reſpirationem & anxietatem percepi, adeo ut ad ſolutionem ejus, & vis diminutionem, aquam coctam large bibere coactus eſſem. Anne vero phænomena, a ſemidrachma Corticis ſumta, cum his comparari poſſunt? Cetera omnia adſtringentia, experientiæ conformiter, in actionibus vitalibus & naturalibus varias cauſant perturbationes, criticas ejusmodi evacuationes omnis generis ſiſtunt, inflammationes, aliaque ſymptomata ſpasmodica, producunt; Cortex vero nunquam; perſonis enim omnis ætatis & conditionis, puerperis, infantibus lactantibus &c. propinari poteſt, & per longam experientiam Virorum præclariſſimorum multorum patet, eum recte adhibitum ipſis nun-

p) v. Swieten Comment. T. I. pag. 37.

quam esse damno; nullam enim subito ad sanitatis detrimentum cohibet evacuationem, sed potius omnes se- & excretiones ad debitum rectumque ordinem redigit. Tali modo omnes Stahlii nonnullorumque discipulorum ejus scrupuli, in Corticis utilitatem & præstantiam facti, evanescunt, cum demonstrari non possint.

§. XIV.

Quia ergo Cortex tam in solida quam fluida corporis nostri agit, horum crasin, illorum vero robur multifarie emendat, ambo vero ad debitas eorum a naturaque destinatas functiones apta idoneaque reddit: concludimus ex his, illum in omnibus morbis, qui relaxationem, debilitatem nimiam in genere nervoso & vasculoso, immo in omnibus partibus firmis mobilitatem, cum inde dependente degeneratione humorum, stagnationeque eorum, pro caussa immediata seu fundamento habent, & qui medicationem non respuunt, non solum magna utilitate adhiberi, sed & considerari pro remedio securissimo, certissimo & efficacissimo; quare in hoc genere morborum ab Auctoribus tituli ipsi attributi, quos Celeb. & eruditissimus Dn. Professor Rosén *q*) in dissert. sua egregia diligenter collegit, cardiaci nempe, balsamici, stomachici, antihysterici, antihypochondriaci, nervini, viscerales, carminativi, emmenagogi, diuretici &c. ei omnino competunt. *Cardiacum* enim est præstantissimum, dum vi stimulante sua statim vim cordis motricem auget, illamque continuato usu vi corroborante conservat. Eo meliori vero jure de eo hoc prædicatur, cum non instar multorum aliorum Cardiacorum sic dictorum, calorem præternaturalem, sitim,

q) In dissert. Lond. Goth. A. 1744. p. 27.

tim, & alia ſymptomata febrilia, excitet, ſed potius, ſi recte fuerit adhibitus, uti optime monuit Cel. Tortus *r*), ea propulſet, & pulſum in naturalem redigat mediocritatem. Pari ratione jure appellatur *ſtomachicum*, *antihyſtericum*, *antihypochondriacum*, *nervinum*, *viſcerale*, *carminativum* &c. dum recto hujus remedii uſu in viſceribus juſta virium menſura, debita functionum reciprocatio, motuumque conveniens & recta determinatio, reſtituitur, quo facto in toto abdomine, uti & in toto corpore, obſtaculis ſublatis, naturalis recuperatur ſtatus. Ipſe in diverſis morbis difficilioribus, præſertim in malo hypochondriaco & hyſterico, in colica, cardialgia flatulenta, in nimio, imminuto & ſuppreſſo menſium fluxu, immo in hæmorrhagiis omnis generis, magnas corticis vires ſæpius cum admiratione vidi; ſicuti e contrario hoc remedio, manu non experti artificis adhibito, plus damni quam emolumenti inde emergiſſe obſervavi. *Anthelminthicum* Cortex vere ſalutatur, quia non modo, ut omnia amara, vermibus eſt inimicus, ſed præcipue ob vim ejus ſtimulantem & corroborantem ſæpius dictam, qua augetur motus periſtalticus & ſecretio lymphæ mucique inteſtinorum, quare vermes ubicunque adgreſſi, præſertim ſi pharmacum hoc cum purgante ad illum finem convenienti e. g. ſale Seidlizenſi, fuerit mixtum, tandem languentes vel mortui e corpori ejiciuntur. Corticem eſſe *balſamicum*, eo minus negari poteſt, quia reſina, gummi & ſal eſſentiale ejus ſatis hoc demonſtrant. Ex effectibus ſimili modo apparet, dum non modo corpori mediante vi ſtimulante & roborante calorem reddit, verum etiam ſanguini admixtus ad naturalem gradum eum auget atque conſervat, uti quoque corruptioni, inſtar aliorum balſamicorum, reſiſtit,

r) Torti therap. ſpecial. p. 26. Lib. I. cap. 3.

quod etiam demonſtrat mutatio illa, quam producit in eis, qui ſphacelo ex cauſſa interna laborant. *Saponaceum* eſſe, partes conſtitutivæ ſatis teſtantur, quibus non modo in ſolida agit &c., verum etiam bilem emendat, ejus vices abſolvit, ſuccum pancreaticum, chylum, & alios in primis viis degentes humores, corrigit, & ad uſum eorum utiles atque convenientes reddit, quare conſequenter ut alia ſaponacea agit digerendo & abſtergendo.

Ex his pari ratione, qua ex eis quæ de effectibus corticis in ſolida & fluida corporis noſtri ſupra ſunt dicta, facile intelligitur, quatenus ceteræ ſuperdictæ ei competant qualitates.

§. XV.

Ex generali vero hucusque facta conſideratione utilitatis Chinchinæ evidentiſſime quoque ſequitur, quale damnum generaliter efficiat Cortex, in ſtatu ei non ſolum oppoſito ubi prodeſt, hoc eſt in rigiditate ſolidorum, & fluidorum inde dependente nimia adunatione & immobilitate; ſed etiam quando ſolida tono roboreque gaudent naturali, quia tunc uſu Corticis antea dictus oritur ſtatus nimiæ cohæſionis ſolidorum & fluidorum, & conſequenter duo principalia requiſita ad liberam circulationem, & cum ipſis ipſa ſanitas, deſtruitur.

Quo vero limites mihi præſcriptas brevis diſſertationis academicæ non transgrediar, finem lei ſtatim imponam, compendio ſolum adjecto totius ejus ſummæ.

Tradidi vero primo in hac diſſertatione, hiſtoriam (§. 1.) Corticis, in ipſaque advectionem ad Europam, deinde botanicum ejus characterem

(§. 2.)

(§. 2.) & tandem fata præcipua, quæ poſt advectionem ad Europam ad hunc usque diem expertus fuit.

Deinde quod per ſenſus & analyſin chemicam in eo animadvertitur, ex optimis autoribus, nec non ex propriis cum illa inſtitutis experimentis, demonſtravi (§. 3. &c.). Denique etiam ex propriis obſervationibus modum ejus operandi in corpore vivo generaliter demonſtravi, dixique, illum vi ſua ſtimulante & corroborante, nec non principiis balſamicis, ſaponaceis &c. agere in duas partes corporis noſtri principales; ſolida, quando præternaturali conditione, vel perverſo uſu ſex rerum non naturalium, & ex aliis cauſſis, roboris expertes facta ſunt, ſtimulare & corroborare; fluida vero, ex his cauſſis degenerata, & in vaſis ſtagnantia, corrigere, in circulationemque ducere; ambo vero generaliter ad functiones ſecundum diverſum ordinem & conditionem a natura deſtinata, apta & idonea reddere.

CLXXVII.

AMBROSIACA

QUAE

PRÆSIDE

D. D. CAR. LINNÆO

PRO GRADU DOCTORIS

proposuit

JACOBUS HIDEEN

Ostrobotniensis.

Upsaliæ 1759. Jun. 20.

---

§. I.

Principium odoriferum, quod Spiritum rectorem appellat BOERHAAVE, volatile, subtile ac tenue est, omnem effugiens, etiam acutissimum visum tactumque, solum afficiens olfactum. Mira certe, immo abscondita est olidi natura; solvitur menstruo tam spirituoso, quam aquoso; oleum enim æthereum vel in alcohole digestum & leni destillatum calore, vel aqua conquassatum, suam amittit fragrantiam: iners vero est, quod ultimo remanet olei corpus; vid. BOERH. *Elem. Chem. T. II. p.* 30. Tanta ejus est levitas, ut corpora odore suo privata, vix quidquam de pondere perdidisse visa fuerint. Effectus in corpore humano, ipsi odores producunt vere eximios,

&

& ſæpe ſtupendos. Quæ *gratum* ſpirant, amœnitate ſua delicias nobis offerunt; hæc nervis ſunt amiciſſima, quibus reſolutis pulchre medentur, hos torpidos excitant, & vires deficientes refocillant, ſic in Languore, Lipothymia ac Paralyſi proſunt. Aſſerti veritas, Meliſſam, Marum verum, & ſexcenta alia conſideranti, manifeſto patebit. Hinc odores a PLATONICIS inter ſpirituum alimenta, eleganter repoſiti ſunt. Sed a *tetro* ipſa abhorret natura. Fœtor ovi putridi nauſeas ciet atque angores. Mephitis ſanguinis humani putrefacti, nares ſaltem feriens, Dyſenteriam excitavit, obſervante PRINGLE. Vapor Gas ſylveſtre dictus, qui ſub ipſo fermentationis negotio a muſto exhalat, venenum eſt ſubtiliſſimum, aſt ſimul vehementiſſimum, quod momento citius herculeas frangit vires, & quisquis hunc attraxerit halitum, vel cito peribit apoplecticus, vel fatuus pœnas luet ſuæ temeritatis. cfr. BOERH. l. c. *in hiſt. ferment.* Sed nec omnia omnibus conducunt; fuerunt, qui gratiſſimam roſam vix ſine animi deliquio olfacere potuerunt. Diverſa quoque obſervantur phænomena pro vario adhibendi modo: nam ambroſiaca Hyſtericis odoratu adeo inimica, interne propinata proficua evadunt. Odorifera utique Medicinam præbent vere efficacem, ex quibus ea inpræſentiarum pertractaturi ſumus, quæ Ambram ſpirant, & *Ambroſiaca* dicuntur. Innocua vero hæc noſtra conamina ſi candido Lectori haud diſplicuerint, admodum nos judicabimus felices.

§. II.

Ambroſiacis ceteris longe antecellunt Ambra, Zibethum ac Moſchus, ex quibus AMBRA noſtram omnium primum ſubeat conſiderationem. Concretum eſt bituminoſum, opacum, conſiſtentia ſiccum, tenax. Leni calore inſtar ceræ molleſcit,

ſcit, ad mitiorem ignis gradum colore liqueſcit flavo, ad fortiorem tota fere avolat. Flammæ ſi admoveatur, accenditur, ardetque, donec nihil fere reliquum fuerit. Quoad gravitatem aqua levior eſt. In ſpiritu vini rectificatiſſimo ebulliente, & oleis eſſentialibus, eam penitus diſſolvi: non vero aqua oleisve unctuoſis, aſſerit NEUMANNUS in *Prælect. Chem. de Ambra*, & LEWIS Recentiſſimus Editor *of the New Diſpenſ. p.* 76. Reſpectu coloris duæ habentur varietates: altera *griſea* eſt ſive variegata, quæ vel *flavis* interſtinguitur maculis, tumque optima ac *pretioſiſſima* cenſetur, vel maculis nigris: altera *unicolor; hæc* albeſcens, citrina, fuſca ac nigra. Cfr. Cel. Prof. WALLERII *Mineralog. de Ambra.* Pretioſum hocce concretum a fraudulentis adulterari ſolet, qui eidem varia admiſcent heterogenea, ut Maſtichen ac Ladanum. Immo quidam ſpuriam componere didicerunt ex Cera, Benzoë, Succino, Moſcho aliisve. Hæ fraudes deteguntur explorata QUALITATE, Ambra enim genuina inſipida eſt: *Odor* ejus gratiſſimus, cui nihil facile reperies ſuaveolentius, quem præcipue ſpargit comminuta, igni admota ac ſoluta: ACU IGNITA, cui, ſi in ambræ genuinæ fruſtulum intrudatur, nihil reſinoſi adhærebit, circa acum vero exſudat materia quaſi oleoſa, coloris flavi, & ſuavis ac ſpecificus ejus percipitur odor. *Non eſt melior*, inquit KÆMPFERUS, *bonitatis & conſtantior nota, quam ſi candenti laminæ ejus aliquot granula imponantur:* nam ſi vera fuerit, nihil fere remanet, & adulterium proditur ſuffitu. Ex adverſo ſpuria, ſi comburatur, ſemper relinquit carbones aut materiam quandam terreſtrem. Magna copia colligitur in mari Indico circa inſulas Moluccanas & alibi, ubi Oceano innatat, eſt interdum reperta ad oras maritimas Septentrionales, ſcil. Angliæ ac Norvegiæ.

§. III.

§. III.

Rerum physicarum solertissimi scrutatores in hujus naturam inquisiverunt, quo detegerent cuinam naturæ regno natales suos deberet: eadem tamen ac Corallia subiit fata; ex uno in alterum proscripserunt, & tandem omni eidem denegata in singulis naturæ regnis civitate, vel maris esse spumam, vel meteoron, vel nescio quid de cœlo delapsum finxerunt. Fuerunt & sunt, qui Ambram pro fœtura regni animalis habuerunt habentque. Frustula ejus ex balænarum intestinis exemta fuisse, & sel Ceti diu asservatum Ambram tandem spirasse narratur. Qui vero fidem magis merentur, DUDLEY ac BOYLSTON ex America, asserunt eam in peculiari cystide prope genitalia Ceti, præsertim maris, qui ad provectiorem evectus est ætatem, reperiri, & hoc animal Ambram producere, quemadmodum Moschus, Zibethum ac Castoreum ab aliis producuntur. Alius fimum avium eandem proclamavit. PARISIENSES conjectura ducebantur ad suspicanda insecta, & pro favo apum venditaverunt, a quibus collecta & rupibus maris apposita foret, quam postea sævientes undæ avellerent. Quidam existimaverunt aliquam Camphoræ speciem, vel arboris cujusdam orientalis lacrymas, in oceanum delapsas, vel fungum maris concretum illud constituere. Chemici hunc igne soluturi nodum, Ambram mineralis esse prosapiæ, & e terræ sinu emanare, contenderunt; nam magna ejus cum succino & reliquis bituminibus est analogia, habito respectu ad difficiliorem in menstruo spirituoso solutionem, & ad partes constituentes: quippe destillata phlegma præbet insipidum, spiritum acidum, oleum flavum odoratissimum & sal volatile acidum, remanente materia nigra, splendente, bituminosa, ut monent GRIMMIUS & GEOF-

GEOFFROY. NEUMANNUS vero majorem forsan adhibuerat ignis gradum, & ex integra ejus drachma destillata, unicum saltem materiæ terrestris granum in retorta remansisse observavit. Diversa corpora peregrina Ambræ glebis inhærere subinde observatum est, spinas scil. piscium, rostra, ungues plumasque avium, conchylia & lapillos, unde merito concluditur illam liquidæ sive mollioris olim fuisse consistentiæ, temporisque progressu duriorem evasisse.

§. IV.

Arabes de Materia Medica bene meriti erant, quam præstantissimis ditaverunt remediis, Senna, Cassiæ pulpa, Tamarindis, Manna, Rhabarbaro, Camphora aliisque. Horum quoque temporibus Ambræ *in Medicina innotuit usus*, quæ olim aliis frequenter admiscebatur pharmacis, suavitatis ac fragrantiæ conciliandæ gratia, quæ vero deliciæ jam exoleverunt.

VIS: Nervina. Huic inter medicamenta nervis dicata principem HOFFMANNUS assignat locum. Agit suavi suo odore in systema nervosum blande excitando, refocillando & roborando; adeoque *analeptica*, *exhilarans*, *calefaciens* & *aphrodisiaca* est.

USUS: In morbis nervorum proficua censetur, nimirum Imbecillitate memoriæ, Vertigine, Lipothymia, Epilepsia, Paralysi, Melancholia. In Fame canina specificum esse contendit RIVERIUS. Ad venerem stimulandam ea utuntur gentes orientales, illamque longævitati haud parum conducere vulgo opinantur. Senes labascentes quod æque fulciat ac Ambra, nihil esse putat ETTMULLER.

In

In Scabie aliisque morbis exanthematicis, ſi regreſſum minentur efflorescentiæ, felici ſucceſſu propinari poteſt; nam ſuavis ejus odor eſt acaris inimicus ac peſtifer, qui has producere ægritudines ſæpe merito culpantur. Hyſterici vero ac Hypochondriaci odoris hujus ſuaveolentis impatientes eſſe ſolent, illas tamen levamen ſentire dicunt, ſi ambra utero admoveatur. Doſis gr. IV. in ovo ſorbili.

§. V.

Animalia variis prædita ſunt facultatibus ac diverſimode armata, ut eo melius ſemet ſuſtentent, aut contra aggreſſorum defendant injurias. *Crotalus horridus*, *Coluber Naja* venenum nacti ſunt, quo nihil in natura vehementius, & *Raja Torpedo* motum tremulum, eundemque vel leviter ſaltem tangenti moleſtiſſimum. *Simia capucina* clamorem edit crudeliſſimum, ipſa oſſa quaſi frangentem, quoties aliquis illam laceſſit. *Muſtela Ermina* perterrita, convulſa proſternitur, hinc hoſtium ſuorum præda facile futura: aſt inſimul tetrum ſpargit odorem hos fugantem. *Viverra Memphitis* ac *Putorius* peculiari muniuntur præſidio, dum aliquis has perſequitur vel aggreditur feras, mejendo fœtorem explodunt, cetera fere ſuffocantem animalia. Vid. NOB. DNI PRÆS. *S. Nat. edit. X.* & CEL. PROF. KALM *It. Amer. T. II. p.* 378.

Ex Ferarum ordine & Viverræ genere eſt quoque *Zibetha S. Nat. pag.* 44. deſcripta. In hujus utroque ſexu inter anum & partes genitales utriculus adeſt, ubi odoramentum illud, ZIBETHUM dictum, ſecernitur. Animal moleſto in loco affectum pruritu, ſe duriori affricat corpori & hanc evacuat materiam, vel ubi manſuetum fuerit auriſcalpio eximitur.

Locus

Locus natalis: *India* utraque, & *Africa*, præcipue *China* & *Braſilia*.

§. VI.

QUALITAS: Subſtantia eſt unctuoſa. *Color* albeſcens, flavus & ſubfuſcus, plus minus pro ratione vetuſtatis varians. *Optimum cenſetur quod ſubpallidum habet colorem, pingue, moderate liquidum, tractu temporis craſſeſcens, papyro impoſitum & affrictum ſolubile, ſine craſſamento, quo ipſo diſtinguitur ab adulterino. Ph. Würt. p. 136.* Admiſceri oleo expreſſo, æthereo & minerali, ut Amygdalarum dulcium, Terebinthinæ & Succini: non vero ſpiritui vini, NEUMANNUS docet. *Odor* ambroſiacus, Ambra & Moſcho gravior. *Sapor* amaricans.

VIS: nervina, cordialis, expulſiva, ſoporifera.

USUS: In odoramentis; internus vero adhuc non invaluit. In dolore colico, & torminibus infantum, regioni umbilicali inunctum prodeſt. Ovibus ſcabie affectis felici ſucceſſu grana aliquot pro doſi propinata ſunt. In locum Moſchi ſubſtitui poſſe videtur; ſed longe carior eſt.

§. VII.

Moſchus Moſchifer ex ordine Pecorum eſt, & diſtinctum ab aliis conſtituit genus, *Syſt. Nat. p. 66.* Cujus locus natalis *Tatariæ* verſus Chinam. Infra umbilicum Folliculum gerit, ubi pretioſum illud odoramentum, MOSCHUS dictum, excernitur, qui vel occiſo Animali exſcinditur, vel ipſo vivente aut ſponte, pruritu quodam excitato, aut arte exinanitur. Erant olim, qui hunc vel ſa-

niem

niem apoſtematis, vel ſanguinem eſſe menſtruum ſtatuebant, quas relationes inter meros imaginationis referimus fœtus. Fraudulentorum injuriis Moſchus obnoxius eſt; auri enim ſacra fames allicit lucri cupidos, ut copiam rei caro ſatis pretio vendendæ augeant peregrinis admiſtis, ſanguine puta exſiccato, carne, Ladano, Benzoë, nuce Myriſtica, aliisque quibusdam, quæ mangonia a SCHROECKIO expoſita videbis. Immo fuiſſe quendam in his fraudibus ſtruendis ita verſatum, teſtatur SCHULTZIUS, ut ſpurium a vero non facile dignoſceres. Genuinum autem ab adulterato diſtingui monet *Ph. Wurtenb. ope laminæ ignitæ, cui Moſchus impoſitus totus evaporat, ſed adulteratus carbonis inſtar quidpiam aduſtum relinquit.*

QUALITAS: Conſiſtentia pinguis & unctuoſa; in aqua & ſpiritu vini ſolvitur; ſed non oleo expreſſo æthereove. *Color* fuſcus *Odor* Ambroſiacus, qui leviter nares feriens, ſuavitate ſua nervos demulcet: aſt confertim irruens, in tunicam Schneiderianam impreſſionem efficit minus gratam. Cum oleo tartari per deliquium digeſtus halitum prodit urinoſum; ſed acido Vitrioli & Nitri deſtruitur. *Sapor* ſubacris, amaricans.

VIS: Nervina, Cordialis, Antiſpasmodica, Diaphoretica, Exanthematica, Aphrodiſiaca.

§. VIII.

Moſchum in India Orientali medicamentum eſſe ſolenne, quod morbis medetur atrocioribus, peregrinatores palam fecerunt. Olimque ARABES in multis, iisque gravioribus malis, utilem fore agnoverunt, ipſis admiſcuerunt pharmacis, quæ cerebro cordique opitularentur, aut veneno

reſiſterent; ab aliis quoque ſummis extollitur laudibus. SALOMON ALBERTUS hunc adeo neceſſarium judicat, *ut ſi uſura ejus Medicinam orbaveris, ipſa mutila protinus ſit ac diminuta.* WEDELIUS eum tanti fecit, ut, *Moſcho quid cordialius?* quæſiverit. Præſtans eſſe remedium iteratæ teſtantur obſervationes, præcipue *in Febribus contagioſis, exanthematicis ac malignis.* Miaſma quid ſit, ſolutu certe eſt difficillima quæſtio, quæ diu licet fuerit agitata; quisque tamen ſincerus fateri neceſſum habet, plures contagii ſpecies *illis* adhuc obvolutas latere tenebris, ut determinari nequeant. Scabiem per acaros propagari non ignoramus, & Peſtem, Variolas, Morbillos, pro cauſſa, ſibi propria agnoſcere animalcula, admodum probabile eſt. Cfr. *Diſſ. de Exanthem. vivis.* His Moſchi ſuaveolentia letifera. CAMERARIUS vim Moſcho aſſignat *antiloimicam*, nimirum repellendi, diſſipandi & extinguendi peſtilentem aëris perniciem, cui multi in praxi bene verſati conſentiunt. His quidem alii acriter ſemet opponunt, & Moſchum in dira iſta lue nociturum fore, contendunt. DIEMERBROEK in peſte Noviomagenſi, ægrotos, eodem propinato, pejus ſemet habuiſſe, obſervaverat: ſed epidemiæ peſtilentiales plane diverſæ fuerunt, ut methodus therapeutica, uni conveniens, alteri nocuerit.

In *Variolis* e collo ſuſpenſus, præſervando pulchra præſtat. Si exanthemata retroceſſerint in his aliisve, certo certius vita periclitatur ægrotantis, in quo caſu Moſchus ſacra eſt ancora, vi gaudens expulſiva.

In *Febribus malignis* egregiam præbet medicinam, nervos ac cor roborando, ſalutarem promovet diapnoën & ſomnum conciliat. Delirium, ſub-

ſubſultus tendinum, ſingultus metum certiſſime augent, quæ ſymptomata Moſcho iteratis vicibus feliciter ſuſtulit D:r. WALL; & FULLER in Pharmacopœa extemporanea teſtatur, eundem *aliquando divinitus ſuccurrere ac ſingultum ſuperare.* Vid. *Philoſ. Transact. Vol.* 43. *N.* 474. PRINGLE *Beobacht. über die Krankheiten einer Armee pag.* 297.

Epilepſia, ſacer ille ac herculeus morbus, atrox eſt malum, quo nihil horribilius mortales excruciare poteſt. Hinc omni ævo ſumma nitebantur ope, ut tantis miſeriis æger relevetur. Sequentia heic profuiſſe commemorant obſervatores, radicem ſcil. Valerianæ ſylveſtris, Pœoniam, Viſcum, cort. Chinæ, Oleum animale Dippelii, Fel urſi. Huc merito referendus Moſchus, quem RIVERIUS, SCHENCKIUS, FORESTUS, SCHROECKIUS aliique laudaverunt, HOFFMANNUS felici adhibuit ſucceſſu. VAN SWIETEN in ſuis *commentariis Tom. III. p.* 437. morbi hujus Moſcho debellati mentionem facit, & hunc vi adeo penetranti pollere obſervavit, ut excreta ægrotantis eum redoluerint. Non ore tantummodo ingeſtum, ſed & clyſmate injectum, in convulſionibus exoptatum præſtitiſſe effectum, refert WALL *in Philoſ. Transact. l. c.*

Hyſteria, quæ ſexum dire vexat ſequiorem, a ſuaveolenti hujus odore recrudeſcit; levatur vero eodem interne adhibito. Uteroque admotus Moſchus hyſtericas reficere dicitur.

Hydrophobia, funeſtum ut plurimum, ſed rarius, laus Deo! in Patria noſtra malum, interdum tamen viſum. In Oſtrobotnia & parœcia Ilmola, anno præterlapſo tempore vernali nonnulli homines, a Lupo rabioſo lacerati, hydrophobici perierunt.

erunt. Laudatur heic Moſchus ut efficax prophylacticum ac therapeuticum in vehiculo propinatus ſpirituoſo, ſcil. Oryzæ, *Arrak* dicto, a JAMES & WALL.

Mania Upſaliæ anno præterlapſo virum juvenem corripuit, quæ, præmiſſis univerſalibus, feliciter ſublata Moſcho Camphoræ admiſto; VAN SWIETEN lætus teſtatur, ſemet vidiſſe *in juvene maniaco pulchrum Moſchi effectum.*

Tuſſim convulſivam, quæ ſævus ſane atque contagioſus eſt morbus, per animalcula propagari, haud plane negandum, quod tamen ulteriori committitur experientiæ. In hoc malo eundem cum fructu uſurpatum fuiſſe obſervatores contendunt.

§. IX.

Quæ odore inſtructa ſunt fortiori, motum ſanguinis exagitare & corpus magis calefacere, cenſentur; ex quo fundamento Moſcho ingens competeret vis calefaciens: hinc parciſſima ſaltem propinandus foret doſi. Sed ab hac quoad partem diſcedimus ſententia, aeri vim aſſignaturi calefacientem. Baccæ Coccognidii ac Piper Indicum inodora ſunt; ſed vires exſerunt fere igneas, quicunque hæc guſtaverit, experimenti ſui oblivi ſci nunquam poterit. Moſchus ex adverſo expers eſt acrimoniæ. Imo antea nominatus WALL absque æſtu quodam inſequenti hunc ſæpius propinaverat, ſemper obſervans eundem levamen ſomnumque conciliaſſe ægrotanti placidum, ac largam effeciſſe diaphoreſin. Qui inſimul monet, infra grana ſex, ſe nullum expertum fuiſſe effectum. Eidem aſſentit citatus ſupra Editor *of the New Diſpenſatory*, qui experimenta inſtituit in ſemet ipſo.

In

In atrociori malo dosis est a scrupulo dimidio ad integrum.

§. X.

Dantur quoque vegetabilia, quæ respectu odoris Moscho sunt analoga; adeoque viribus gaudent similibus, & leviori saltem malo profligando paria reputantur; nimirum Semina *Abelmoschi*, *Geranium moschatum*, *Malva moschata*, *Allium moschatum*, *Lathyrus moschatus*.

CLXXVIII.

HÆMOPTYSIS

QUAM

PRÆSIDE

D. D. CAR. VON LINNÉ

PRO GRADU DOCTORIS

propoſuit

JOH. MARTINUS GRÅBERG

Gothoburgenſis.

Upſaliæ 1767. Maji 13.

Cernis ut e molli ſanguis pulmone remiſſus
Ad ſtygias certo limite ducat aquas.
OVID.

---

§. I.

Inter morbos, qui viſcera ad vitam maxime neceſſaria adgrediuntur, qui & ideo diſcrimen vitæ haud leve adferunt, non immerito numeratur HÆMOPTYSIS, non adeo quidem infrequens morbus, frequentiorem tamen eum non eſſe, merito mecum mirabitur, qui perpendit *Pulmones* ex celluloſa laxiori, & vaſis etiam majoribus compoſitos eſſe, perque ea ſanguinem univerſi corporis tranſire, inque circulo ſuo variis ex cauſſis turbari. Sapientiam vero Dei providam venerari debemus,

bemus, qui tenero huic viſceri proportionatam dedit firmitatem, ut non adeo facile, ac primo intuitu videretur, vaſa ejus rumpantur. Hanc ægritudinem, multis funeſtam, breviter delineare, Speciminis Inauguralis loco, animo conſtitui; mitiorem vero Tuam B. L. mihi expeto cenſuram.

§. II.

Eſt HÆMOPTYSIS *Sanguinis, e pulmonibus per Tracheam, in os, cum Tuſſi, copioſa excretio.* Hæc, ſi *interjecto* aliquo temporis ſpatio redit, *cum tabe pulmonum*, ſive hæreditaria, ſive adſcitia, *Habitualis* dicitur; ſi vero a cauſſa quadam acceſſoria provenit, *Accidentalis* vocatur. Antequam vero e pulmonibus excernitur ſanguis, ſentitur, prægreſſis in quibusdam extremorum frigore & algore corporis, præſertim crurum eorumdemque laſſitudine, dolor gravativus & undulatorius, vel palpitationis mirus motus, nunc in dextro, nunc in ſiniſtro hypochondrio, preſſionis inter ſcapulas ſenſus vel ardoris, tandem cum tuſſi, titillatione & pruritu in faucibus, quin per totam tracheam, ſaporeque ſubſalſo in ore, calidus erumpit ſanguis, majori minorive copia. Excreto hac ratione ſanguine, reſpiratio liberior fit, donec vel citius vel ſerius eadem redeunt ſymptomata, & cum iis ſputum ſanguinis.

§. III.

Ab aliis excretionibus ſanguinis per os, probe diſtingui debet Hæmoptyſis. Haud parum quidem huc conferunt ſigna, eandem præſagientia, jam recenſita; attamen fateri debemus, ea non ſemper ſufficere, niſi ad alia attendamus. Itaque, ſi e poſteriori narium parte prodit ſanguis, præter

ſigna Hæmorrhagiam narium antecedentia, facile evacuationis hæc ſpecies detegitur, ſi prono capite decumbere ægrum jubemus. Si e faucibus provenit ſanguis, parva copia, cumque titillatione potius, quam tuſſi, excernitur; interdum etiam oculus ipſe fontem videt, quale exemplum habemus in Illuſt. v. *Swieten Comment. Boerhaav. T. IV. p.* 4. Eadem ratione, ex inſpectione ſcilicet ſanguinis, detegitur, qui e gingivis fluit. Si e larynge, vel Trachea excernitur, haud facile quidem diſtinguitur ab *Hæmoptyſi*, *ob tuſſim conjunctam*, a parca vero *copia ſanguinis prodeuntis*, *titillatione*, *quin moleſta ſenſatione his in locis*, *peritus facile percipit*, ſanguinem non e pulmonibus provenire. Si e vaſis ventriculi excernitur & per os ejicitur, *Vomitum* vocant *cruentum*, a dolore ventriculi prægreſſo, & ex phænomenis vomitus, ab Hæmoptyſi *diſcernitur*.

§. IV.

Qui in Hæmoptyſi prodit ſanguis, provenit, ut quivis facile perſpicit, e vaſis pulmonem adeuntibus; utrum vero e *venis*, an ab *arteriis*, eo minus a colore dijudicare poſſumus, cum nulla inter ſanguinem arterioſum & venoſum notabilis obſervetur differentia. Triplici autem modo excernitur: aut per *rupturam*. ῥῆξιν vocant, quæ plerumque obtinet; aut per oſcula *vaſorum dilatatorum*, ἀναϛόμωσιν appellant, quæ locum habet, ut videtur, dum excretiones ſanguineæ retentæ Hæmoptyſin efficiunt, ſine ſubſequente Phthiſi pulmonali: aut denique per *eroſionem* ſeu διάβρωσιν, quæ rariſſime, ſi unquam, occurrit, niſi ubi Ulcus adeſt pulmonem depaſcens, vel Vomica. Niſi ab hac cauſſa ſanguis e pulmonibus prodit, rutilans is eſt & ſpumoſus; ſi vero parca copia excernitur,

paulu-

paululumque in pulmonibus moratur, coagulatus videtur. Inter rariſſimos caſus merito numeramus, ſanguinem cum ſubſtantia pulmonum vel bronchiorum portione rejectum fuiſſe, cujus tamen exempla proſtant apud *Tulpium lib.* 2. *Obſ. Med. cap.* 12. 13. 14.

§. V.

Non una eſt *cauſſa prædiſponens* Hæmoptoës, ſed varia, ut

I:a *Nativa corporis diſpoſitio*, qualis eſt longum collum, anguſtum pectus & planum, ſcapulæ depreſſæ, cutis tenera, eademque in facie candida cum genis amœnis roſeis. Dum ad apicem incrementi quoad longitudinem pervenit corpus, hoc eſt, circa annum decimum quintum & ſextum, hi maxime Phthiſi & Hæmoptyſi obnoxii ſunt, niſi natura ſe *ipſam excretione ſanguinis per nares* levat; at ſi ſalutaris hæc evacuatio ceſſat, antequam corpus debitam firmitatem eſt adeptum, eo majori periculo exponuntur. Exemplum hujus rei videmus apud *Benedict. in theatro Tabidorum*: fuit ſcilicet juvenis infelici hæreditate & ad Tabem & ad Hæmoptyſin diſpoſitus, a quibus tamen immunis manſit, evacuato ſubinde per nares ſanguine a decimo ſexto ad viceſimum quintum annum. Eodem vero *ipſo* anno, admiſſo incaute frigore, proficua ea *excretio* ceſſavit, cum inſequente Hæmoptyſi & ſignis *Tabis*: Venæ ſectio in caſu ejusmodi uſurpari ſolita parum profuit, at redeunte copioſa narium hæmorrhagia tanto ereptus eſt periculo. *v. Swiet. ex Bened. T. IV. p.* 15.

II:da *Debilitantia pulmones* huic morbo anſam ſuppeditant, in primis ſaccharata, quæ pulmones relaxant, fibras teneriores fragilioresque reddunt,

unde & frequentior hodie Hæmoptyſis, quam olim, a Theæ & ſaccharatorum quotidiano uſu.

III:tia *Carnium* uſus immodicus, acres humores reddit, ut in Cane ſe ipſum rodente, unde etiam hunc morbum ſæpius incurrunt Angli, præ reliquis Europæis carnivori, & ab hoc morbo Phthiſin.

IV:a *Vita incluſa ſedentaria*, unde debilitantur pulmones tantum, quantum corroborantur a motu ſub dio, equitatione, &c.

V:ta *Spiritus frumenti* largior *frequentiorque uſus* in noſtris terris Hæmoptyſeos cauſſa primaria exiſtit, & quidem a polypis generatis intra vaſa bronchialia, unde fit, ut, quemadmodum in Hæmorrhoidibus cæcis, ſæpius recrudeſcat malum.

VI:ta *Aloëtica* ſanguinem agitare, evacuationes varias ciere, etiam Hæmoptyſin, frequens eſt Germanorum obſervatio.

Quod ad *cauſſas* Hæmoptyſeos *occaſionales* attinet, ſequentes ſunt:

I:a Interceptæ *evacuationes ſanguineæ* conſuetæ, ut hæmorrhoidum, menſium, quin & evacuationum arte factarum intermiſſio. Hæmorrhoides quod attinet, bonis cum ægri rebus ſuccedunt Hæmoptyſi; at ſi Hæmoptyſis eas excipit, maxime mala arte ſuppreſſas, peſſimum eſt, quale exemplum proſtat apud *v. Swieten T. 4. p. 46.* Quæ ab hæmorrhoidum parum diſtat excretio menſtrua, feliciter interdum, ſi ſuppreſſa eſt, compenſatur Hæmoptyſi, uti videmus ex *Hoffmanno T. 4. p. 46. Benedicto in Theatro Tabidorum*, aliisque; at huic ſuccedaneæ excretioni eo minus fidendum, cum haud pauca proſtent exempla ſiniſtri eventus.

II:a

II:a *Spasmodicæ* viſcerum *conſtrictiones*; & hæc eſt ratio Hæmoptoës in Hyſtericis, Hypochondriacis, quin & Arthriticis, præſertim ſi accedit nativa corporis diſpoſitio.

III:a *Violentiores* pulmonum *nixus* ſub clamore, cantu, ſaltatione, curſu, tuſſi, tibiarum inflatione, ponderumque elevatione, riſu & ſternutatione.

IV:a *Vis* quæcunque pulmonibus illata, ut contuſio, *Felic. Plat. lib.* 3. vulnus pulmonum, *Heiſter. Chirurg. lib. I. cap.* 10. Huc referri haud incommode poſſunt illapſa in pulmones per aſperam Arteriam, ut aciculæ, clavi, lapilli; vid. *Morton. cap.* 6.

V:ta *Affectus* Animi, ut ita, terror.

VI:a *Vitia viſcerum* ut pulmonum & viſcerum imi ventris, quemadmodum Tubercula pulmonum & Scirrhi, *Schenck. Obſ. pag.* 240. *Willis in op. poſthum. ſect. I. cap.* 8. Vomica pulmonum, *Phil. Transact. N:o* 245. obſtructio hepatis & lienis, *Blancard. Anat. obſ.* 46.

Levitatem denique nimiam *aëris*, qualis eſt in altiſſimis montibus, huc referunt quidam, ut recens etiam ſcriptor *Franc. Home in Principiis Medicinæ pag.* 232. in hanc procul dubio opinionem inducti a *Joſeph. Coſta Hiſtor. Natural. t.* 3. *pag.* 91. & ex *Scheuchzero* hoc mortis genere, ut perhibent, interemto. At eo lubentius hanc excludimus cauſſam, quo certius conſtat ex relatis *Academicorum e Gallia*, eos commode reſpiraſſe in montibus Pichincha & Corucon regionis Peruvianæ, ubi Mercurius ad dimidium fere altitudinis deſcendit, ut adeo Hæmoptyſis, quæ his in caſibus contigerit, cum *Illuſtri Hallero* non levitati Aëris, ſed laborioſo

rioſo adſcenſui per loca adclivia potius ſit adſcribenda. Vide *Element. Phyſiolog. T.* 3. *pag.* 197.

§. VI.

Varias Hæmoptyſeos SPECIES Auctores enumerant, nobis vero placet ſequentes hujus morbi conſtituere:

I:a Hæm. a *ſtatura:* longo collo, cute florida, vaſis parvis, ætate *juvenili.*

II:a Hæm. a *plethora:* in primis ſi vita lauta, & cibi cupepti, boni, flatulenti offerantur, & vehemens motus inopinato accedat.

III:a Hæm. a *ſuppreſſis evacuationibus ſanguineis:* a venæ ſectione intermiſſa, ab hæmorrhoidibus, menſtruis ſuppreſſis; hæc incipit colica periodica ac menſtrua evadit.

IV:a Hæm. a *Calore* & æſtu; *motu,* ſaltu, curſu, itineribus in calidiſſimis diebus & regionibus, tracheam ſiccantibus.

V:a Hæm. ab *affectibus,* ira in primis & metu.

VI:a Hæm. a *preſſione,* a nixu vehementi, & ponderibus, Riſu, Tuſſi ferina, ſternutatione, vociferatione, cantu, cornu militari.

VII:a Hæm. a *læſione pectoris,* ſive a contuſione, ſive a calculo pulmonum fiat.

VIII:a Hæm. a *Spiritus vini* abuſu, unde polypi, aut tubercula in pulmonibus.

IX:a Hæm. a *Saccharatis.*

X:a Hæm. a *Graviditate.*

XI:a

XI:a Hæm. a *Phthisi*, scilicet a suppuratione in pulmonibus; his accedit suppuratio Hepatis aut Lienis, quorum pus ad pulmones defertur.

§. VII.

Ratione *Prognoseos* pauca ut proferam, generatim observamus, omnem Hæmoptysin, nisi ea per anastomosin fit, periculum non leve portendere, cum ut vulnus considerari debeat, quod nisi consolidetur, ulcus fit sensim depascens pulmones, cum sputo puris, consumtione corporis & febri tabifica. Eam autem metuimus, si Hæmoptysi febris succedit, inflammationem denotans, & huic successuram suppurationem. Si sedata Hæmoptysi, Tussis insequitur sicca, cum febricula lenta mitique, rubore genarum & calore volarum, Vomicam timebimus. Optimum est cessante sputo respirationem esse liberam, febrem nullam, nullamque tussim. Si grandius est vulnus, vel adeo ubertim profluit sanguis, ut æger inde suffocetur, vel repetitis vicibus, ut virium defectu brevi moriatur æger, quod tamen utrumque rarum est. Vel me non monente patet, Hæmoptysin quæ a prima & ultima caussa dependet, longe esse reliquis periculosiorem, licet simul fatendum, quod sæpius plures concurrant caussæ ad eandem producendam. Qui in pueritia frequentibus narium Hæmorrhagiis obnoxii, frequenter in adolescentia inter vicesimum & tricesimum annum Hæmoptysin incurrunt, unde *Hippocrat. IV. Aphorism.* 25. sanguinem superne efferri, qualiscunque sit malum.

§. VIII.

Malo adeo gravi, ut obviam eatur, eo tendere debet CURA *medentis*, ut sputum sanguinis *sistatur*; inflammatio & febris præcaveantur; tussis,

si

ſi violentior, mitigetur, & reditus Hæmoptoës avertatur. *Siſtitur* ſputum ſanguinis, ſi vim ejus a pulmonibus avertimus; protinus itaque e pedis *vena ſanguis* mitti debet, & ſi pulſus adhuc plenus, calor extremorum major, quam in ſano homine, vel ſaltem ejusdem gradus, ſi ſigna Hæmoptoën præſagientia gliſcere incipiunt, eodem die vel poſtridie repetenda erit ſanguinis miſſio: immo, ſi eadem obtinent, quæ jam dixi, tertio & quarto ſanguinis aliqua portio detrahenda erit, usque dum pulſus non amplius ſentiatur plenus, calor extremorum minor, quam in ſano homine, & ſigna Hæmoptoën antecedentia non amplius appareant. *Avertendo* porro a pulmonibus ſanguini haud parum conferunt lotiones in alvum immiſſæ emollientes, dum per depleta inteſtina & relaxata liberior conciliatur ſanguini circulus. Prima lotio ſale ſtimulata, bihorio poſt inciſam venam injici debet, dein vero ſine ſtimulo bis de die applicari debent. Sunt qui loco *Enematum* alternis diebus potionem Mannatam præbent, *vid. Tralles de Uſu Opii ſect.* 2. *p.* 24. Inflammatio & febris præcaventur, in primis Venæ ſectione modo nominata: ſed ſimul *potiones diluentes*, quales ſunt Cremores tenuiores avenæ, vel hordei, Decoctum hordei lacte remixtum, interpoſitis ſubinde nitroſis, omitti non debent. Si ſanguinis ſputum his non cederet, ad mitiora properandum eſt *Adſtringentia*, ut ſuccum Acaciæ, Sanguinem Draconis & Terram Catechu, folia Plantaginis, quæ mucilaginoſis remiſceri poſſunt, ut Conſolida majore & radice Salep; ſi in ancipiti verſaretur æger, ob ubertim profluentem liquorem vitalem, ad *ligaturas artuum* & fortiora adſtringentia progredi licet, ut *Alumen*, *Vitriolum*, *Oleum Vitrioli*, cum ſyrupo aliquo aut mixtura, quantum lingua fere ferre queat, *pulverem ſtypticum* Helvetii, *Balſamum adſtringentem* Pharmacop. paup. Edinb.

Edinb. ſed larga copia cremoris avenacei vel hordeacei dilutum. Radix *Valerianæ* a multis etiam laudatur, ſed videndum ne ab his graviora ſuboriantur ſymptomata.

§. IX.

Tuſſis licet non ſemper adſit, interdum tamen adeo violenta eſt, ut metus ſit, ne ſuccuſſione illa pulmonum recrudeſcat Hæmoptoë; mitigari itaque ea debet involventibus & mucilaginoſis, ut Cremore *ſpiſſiore avenaceo & hordeaceo*; mucilagine ſeminum *Cydoniorum*, *lini*; ſolutione *Gummi Arabici*, & *Tragacanthæ*, *Regliſſæ*, *paſtæ de Althæa*, *Syrup. de Althæa*, *Oleo Amygd. d. Vitello Ovi* ſubacto, remixto. *Oleum lini*, ſuam etiam hic laudem meretur, dum tuſſim non tantum ſedat, ſed etiam ſpasmos.

Si noctes inſomnes reddat Tuſſis, ad *opiata* progredi licet, ut ſomnus tranquillans concilietur, cui par vix eſt remedium, ad compeſcendas turbas in corpore humano. Tanti quidam Opiata fecerunt in hoc morbo, ut ea omnino neceſſaria judicaverint, quorum tamen opinioni minime ſuffragari poſſumus, niſi a ſpasmodicis ſtricturis dependeat vel foveatur Hæmoptyſis. Idem ſentiendum judicamus de ſeminibus Hyoſcyami, ab *Ettmullero* & *Boyleo* dudum, etiam a recentioribus quibusdam adeo commendatis. Superato periculo, *Cortex peruvianus* dari poteſt, pro corroborandis pulmonibus, quin toto corpore, præſertim ſi largiores venæ ſectiones neceſſitas poſtulavit. Matutinis vero horis infuſa Herbarum vulnerariarum detergentium, ut *Hederæ terreſtris*, *Bellidis arvenſis*, *Cereſolii*, *Hyſſopi*, ſummitatum *Virgæ aureæ*, *Hyperici*, *Pulmonariæ maculatæ*, a quibusdam ſummopere laudatæ &c. lacte remixta, in uſum vocari poſſunt,

poſſunt, vel etiam *ſerum lactis dulce* Hoffmanni, eo modo paratum, ut loco aquæ ſimplicis affuſæ, infuſum Herbarum modo nominatarum ſumi poſſit. Inter hæc perpendendum, annon cauſſa ſit ejusmodi, ut tolli queat; itaque ſi evacuationes ſanguineæ ſuppreſſæ malum produxerint, eæ promovendæ ex artis lege, debita tamen cum cautela, ne dum in his occupati ſumus, redeat Hæmoptyſis. Si *Arthritis* in cauſſa eſt, eadem ad ſuas ſedes revocari debet, ut ei ſuccurri queat. Si phthiſici *quid metuamus*, *ad lacticinia*, aquasque *Selteranas lacte remixtas*, *aliaque præſidia*, in *Phthiſi imminente* commendari ſolita, *progredi* licet. Sunt qui hoc in caſu laudant Oleum infuſum Hyperici.

§. X.

Ut haud exiguum momentum curationis morborum generatim in debito vitæ & *dietæ regimine* ponitur, ita haud parum ad hoc malum ſuperandum confert. Itaque omnia quæ æger bibit, calida non eſſe debent, ſed potius frigidiuſcula, vel ſaltem talia, qualia in cubiculo, in qua decumbit æger, quodque ſubtepidum ſaltem erit, fieri poſſunt. Immo ſunt clari in arte viri, qui frigidam ipſam commendant aquam, ceu ſumme proficuum remedium ad ſiſtendam Hæmoptyſin, ut *Martinus Ghiſi* Cremonæ, & *Ignatius Gervaſius a Monte Fuliſco* Romæ, qui etiam in malo graviori ſpongias aqua gelidiſſima nudo pectori applicari curavit. vide *van Swieten T. IV. p.* 40. 41. A ſpongiis, aqua frigida madidis, ſcroto applicatis, egregium effectum dudum vidimus in hortulano Academiæ Nietzel, graviſſima Hæmoptoë affecto. Efficacem Medicinam Archiater Cæſareus Antonius *de Haen* per ſexennium feliciter ſecutus eſt. vide *Ratio Medendi T. X. p.* 308. Ne lecti calore exagitetur ſanguis, culcitis

culcitis ex pilis equinis, vulgo *Madraſs*, potius incumbat æger, quam plumeis. Ante omnia vitet æger ea, quæ validiores pulmonum exercitationes requirunt, & quantum poſſibile a confabulatione ſe abſtineat, &, ſi id fieri debet, ſubmiſſa fiat voce. Spectat huc teſtimonium *Celſi: ſecuritas, quies & ſilentium non minima curationis pars.* Et quantum hoc conſilium profuerit Comiti cuidam, Canonico Moguntino, graviſſima Hæmoptyſi adfecto, videmus ex *Tralleſii*, Medici apud Vratislavienſes celeberrimi, libro de *Uſu opii ſect.* 2. *p.* 25. Primis *diebus ſolis* Cremoribus victitet æger, dein in uſum *adhibeat* Ova ſorbilia, & edulia ex lacte parata, quin Vegetabilia, quæ nec nimis nutriunt, nec ſtomacho moleſta ſunt, ut Spinachia, fructus horæi bene maturi, aliaque ejusmodi: demum, ſed ſerius, ad carnes, easque albas venire licet. *Nocent* vero omnes cibi aromatici, acres, ſaliti, piperati & coctu difficiles, potus ſpirituoſi, ut Vinum, præcipue recens, acidum & generoſum, Spiritus vini, Cereviſia valde ſaturata, & recens, & quæcunque alia in primis regionibus perturbationem concitant, aut ordinarias evacuationes pervertunt. Morbo huic obnoxii, venere graviter malum augent, & vires corporis animique perquam deſtruunt. Notabile exemplum legitur apud *Platerum lib.* 3. *Obſ. pag.* 738. de muliere quadam, quæ quoties cum viro concubitum celebravit, toties quoque Hæmoptyſin patiebatur. A ſternutatione, riſu immoderato, clamore, ægri abſiſtant, ne fortiter commotis pulmonibus, illa, quæ conſanuiſſe videbantur, recrudeſcant. Pervigilia irreparabili damno vires enervant, vere enim Poëta: *Attenuant juvenum vigiliæ corpora.* Excretiones naturales quotidie reſpondere debent. Animi pathemata vehementiora, ut Ira, Terror, Metus, Triſtitia, Invidia, deſideratus Amor, & quæ ſunt

alia, cane pejus & angue fugienda ſunt, maximum enim detrimentum & gravia Symptomata, præſertim in ſenſibilioribus ſubjectis, adferunt. Aër temperatus & ſerenus ſanitatem promovet, contra vero calidus & ſiccus paroxyſmos excitat, at tempeſtas turbida, ſqualida, nebuloſa, craſſe humida (quæ tamen frigus & calorem non ſubito mutat) ſanitati amica eſt.

§. XI.

Qui Hæmoptyſin ſemel eſt paſſus, merito reditum ejus metuere debet, qui, quantum in arte eſt, impediatur, venam itaque in pede aperire curet æger bis vel quater in anno, immo crebrius, ſi redeunt ſigna, Hæmoptyſin denuntiare ſolita. Victus ſit ex blandiſſimis, ne acrimonia quadam inquinetur ſanguis. Potus itidem blandus eſſe debet, exſuletque omnis caleſaciens. Ante vero omnia vitet æger, quæ validiora pulmonum exercitia poſcunt, vel faciunt ut majori vi ſanguis ad pulmones feratur, ut valentiora corporis exercitia. Et hac ratione æger ſua ſe in valetudine immunem a præcipiti nimis periculo per longum tempus tueri poteſt.



CLXXIX.

CLXXIX.

VENÆ RESORBENTES

QUAS

PRÆSIDE

D. D. CAR. v. LINNÉ

propoſuit

CAROLUS PETR. THUNBERG

Junecopia Smolandus.

Upſaliæ 1767. Junii 2.

---

§. I.

In ſanguinis humorumque circuitu, illo quidem perenni, conſiſtere vitam, inficias iturum neminem fore, crediderim. A primo enim vitæ in fœtu initio ad extremum usque halitum, ſanguis perpetuo circulo a corde propellitur per arterias in venas, a quibus iterum in cor revehitur, novumque per univerſum corpus circulum deſcribere pergit. Vaſa itaque ſanguifera vel arteriæ ſunt vel venæ; at vero præter hæc ſanguinem vehentia, aliis quoque inſuper vaſis corpus inſtructum voluit benigniſſimum Numen. Horum officium eſt chylum & lympham vehere atque oceano ſanguinis infundere. Hæcce vaſcula in Meſenterio

 Lactea,

Lactea, alio locata *Lymphatica* vel *Aquosa* audiunt, ac vere sunt *Venæ Resorbentes*, etiam *Absorbentium* & *Inhalantium* nomine nuncupatæ.

§. II.

Resorbtio in corpore humano ab illis usque temporibus, quibus ad liquidum perducta est circulatio sanguinis, nota omnino ac indubia fuit. A morte humanum cadaver si aperueris, fumi instar ex omni parte vaporem, in aquam dein coëuntem, exhalare perspicies, qui partibus, quibus adest, lubricandis inservit, atque quo minus concrescant, impedit; ea namque est omnium in corpore humano partium indoles, ut, quamprimum nullus sese interponat humor, invicem continuo connascantur. Verum nimia copia collectus noxam non potest non inferre, variorumque morborum fomes evadere. Hinc enim Hydropes varii, ut Hydrocephalus, Hydrophthalmia, Hydrocele, Leucophlegmatia, Anasarca & Ascites, ortum suum habent. Aqua pericardii, cujus est ejus cum corde coalitionem avertere, si ex diminuta vel omnino sublata resorbtione ad libras abundare licuerit & injusta mole congeri, Hydropem certe pectoris inducit. Ne vero aquula hæcce nimia copia peccet, resorbeatur necesse est, per venulas aquosas, & sanguini rursus reddatur.

§. III.

Omnis per has etiam venas resolvi debet inflammatio; sanguinem enim extra sua vasa protrusum iterum recipiunt hæ venulæ, atque adeo resolutioni favent. Eodem omnino modo, si inflammatio solvi nescit & in abscessum abit, puris per hasce venas ad sanguinem via est, unde Hectica

ca oritur febris. Par quoque ratio eſt cum omnibus Atheromatibus & ſteatomatibus, ſcirrhis & vomicis, febre vel motu ſanguinis vehementiori ſolutis; per has namque venulas pus reſorbtum cum ſanguine miſcetur, & per varias vias, ut per alvum, urinam, alias exitum quærit. Sudor, ſi copia expulſum non abſterſeris, hasce per venas retrograditur.

§. IV.

Adipem per oſcula harum venarum patula intrare, dubitandi locus non eſt. Is enim ut in celluloſum textum ex arteriis deponitur, ita a venis reſumatur, neceſſe utique eſt. Utilitas ejus certe non vulgaris eſt; ſingulas nempe partes circumveſtiens diſcrimina eas inter ſervat atque tuetur, & media hac ſublata intercapedine, omnia coaleſcunt, *cutis cum muſculis & muſculi invicem*, nec non ipſe demum motus præ ariditate membrorum deficit. Si contingat diutius protractam pati famem vel moveri fortius, unde quaſſatur & liquidus redditur, per has venulas reſumitur, & in alimentum cedit; quod variis in animalibus videre licet, maxime vero patet in Bradypo, qui tardum admodum animal, ab una ad alteram tantum arborem iter faciens ad ſceleti usque formam emaciatur. Nobiliſſ. DE HALLER mentionem injicit pueri, cui ad mortem ſolum evitandam exhibebatur cibus, & ad ſceleti macilentiam redactum fuiſſe affirmat *a*). Hinc reddi debet ratio, cur illi, qui morbis detineantur acutis vel diuturnioribus, valde emaciati evadant.

a) Element. Phyſiolog. corporis humani Tom. I. p. 43.

§. V.

Ejusmodi re quidem ipsa dari venas resorbentes, abunde evincit Generosiss. Arch. & Eques ROSE'N v. ROSENSTEIN *b)*, & existentiam earum in intestinis Celeb. Prof. GOTSCHALCK WALLERIUS *c)*, nec non ex dictis supra patet. Et etiam experimenta has resorbentes venas confirmant; liquor enim in coronarias cordis venas ex siphone injectus de toto cordis ambitu parvis guttulis exsudare repertus est.

Vasa quoque hæc valvulosa & in corde, & in glandulis conglobatis pericardii & bronchiorum, Nobil. DE HALLER invenit *d)*. Verum enim vero morbi pellucidorum horum vasculorum & existentiam & functionem optime ostendunt; si enim vel rumpantur *e)* ipsæ venæ, & hinc ad lympham resorbendam reddantur impotentes, quod videre est in hominum hydropico quodam morbo enectorum cadaveribus, vel glandulæ illæ, ex conglobato genere, per quas lympha iter facit, obstruantur, resorbtioni obex ponitur, & vapor retentus magnis in caveis in aquam cogitur copiosam. Hinc ex scirrhis harum glandularum Hydrops occurrit frequentissimus *f)*, ut ex scirrho & steatomate in Mesenterio *g)*, atque ex thymo & scirrhosis glandulis sub-

b) Compend. Anatom. p. 228.

c) Differt. Acad. de Existentia vasorum absorbentium in intestinis.

d) Elem. Physiol. Tom. I. p. 174.

e) Collins Anatom. p. 169.

f) Thom. Bartholinus Centur. IV. obs. 58. J. Theod. Eller observ. med. chirurg. p. 72. Allen Synops. C. 14. Casp. Bartholin. de duct. saliv. p. 12.

g) Tulpius Lib. II. obs. 32.

ſubaxillaribus, Hydrops thoracis *h*). Affirmat Nob. HALLER, reperiſſe ſe, idque non ſemel, cum ſcirrhis glandularum tumores pedum aquoſos, quos impeditæ adſcribit humorum reſorbtioni, in celluloſum textum halantium, &, dum reditui clauſa eſt via, ibi ſtagnantium *i*). Sunt &, qui ſcirrhoſa materie repletas & in Aſcite turgidas has venas invenerint *k*).

§. VI.

Gloriam inveniſſe hæc vaſa Varii ſibi vindicarunt. Veteſtiorum quidem temporum machaoniæ artis Cultores non omnino eadem ignorarunt, ſed perexigua tantum veſtigia reliquerunt, & neque nomen eis imponere auſi ſunt, neque utilitatem eorum & damnum ſciverunt. Inter recentiores, qui & de palma ſat vehementer dimicarunt, ſunt OLAUS RUDBECKIUS atque THOMAS BARTHOLINUS, ambo coævi. Sed & plures & majoris ponderis ſunt, quæ pro RUDBECKIO gloria hac vindicanda pugnant, rationes. Ei adhuc juveni & Leidæ ſtudiorum gratia vitam agenti, felici caſu, 1650 ductum thoracicum & ciſternam chyli detegere contigit. Atque hæc inventi palma ut RUDBECKIO præriperetur, præ aliis imprimis nuper nominatus BARTHOLINUS omnes facile nervos intendit, & ſeſe non modo inventorem proclamavit, ſed BOGDANI etiam inſuper contra RUDBECKIUM calamum erexit. At nihilo tamen minus RUDBECKIO ſuus conſtat honos, prius vaſcula hæc inveniſſe; ejus enim, quæ publici juris factæ ſunt obſervationes, deſcriptio-

h) Moebius obſ. 6.

i) Element. Phyſiol. Tom. I. p. 167.

k) Duverney apud D. Tauvry Anat. raiſonnée pag. 114.

nes & icones longioris temporis partus esse videntur. Et ex scriptis BOGDANI certum quoque patet, vasa hæc RUDBECKII sub nomine seroso-rum, BARTHOLINO ante innotuisse, quam quidem ipse lymphatica nuncupavit. JOH. van HORN ductum chyliferum in humano cadavere primus quidem invenit, sed ingenue ipse testatur, RUDBECKIUM antea sibi ductus ostendisse aquosos, eique laudem hujus inventi sponte sua tribuit.

§. VII.

Definit Nob. DE HALLER vasa lymphatica, quod sint venæ pellucidæ aut rubellæ, teneræ, valvulis numerosissimis, certo plerisque locis, interceptæ, hinc nodosæ, ex minimis radiculis in trunculos majores, inque ductum thoracicum eo majoribus confluentes truncis, quo huic ductui propiores sunt *l)*. Valvulas varia vasa, tam arteriosa, ut arteria pulmonalis, quam venosa, nacta sint; hæ vero venulæ aquosæ valvulis numero longe pluribus præ reliquis venis instructæ sunt, valvulis tam propinquis, ut repletæ vel lympha vel liquore injecto, nodosæ inde adpareant. Ejusmodi nodis harum venarum aliquæ carent, ut ductus thoracicus & aliæ *m)*; plurimæ tamen eis gaudent, & quidem ita structis, ut sinus seu caveæ parabolicæ partem musculi a corde remotiorem, cornua vero respiciunt ductum thoracicum. Sanguifera vasa vi contractili hæ venæ valde exsuperant; etenim rami earum atque trunci velocissime sese ad contactum olei cujusdam acrioris contrahunt, & visum statim

a

l) Element. Physiol. Tom. I. p. 156.

m) Casimirus Christ. Schmidel in proprio Programmate. Halleri Elem. Physiol. Tom. I. p. 165.

a morte fugiunt *n)*, vel ſi liquor eas replens expellatur. In ceteris non adeo parvæ ſunt, quin oculis cerni poſſint, ſed venoſa ipſarum natura & valvulæ in cauſſa difficultatis ſunt.

§. VIII.

Aquoſas venulas Auctores variis in animalibus, & præprimis in Quadrupedibus, invenerunt; in homine vero, utpote præ reliqua animantium cohorte perfectioris ſtructuræ & artificii, melius eas præſtiterunt indagatas & per univerſum corpus deſcripſerunt. In capite *o)* hinc illinc obveniunt a variis muſculis glandulisque ortæ, & in collo *p)*. Paſſim etiam in cerebro venæ lymphaticæ occurrunt & quidem pluribus locis, ut ſcriptum reliquerunt varii *q)*, quorum tamen fidem alii dubiam habent & ſuſpectam *r)*. Venarum medullam ſpinalem concomitantium meminit J. GEORG. DUVERNOI & JOH. SALTZMAN. In corde & glandulis pericardio bronchiisque circumjectis vaſa inventa ſunt a Nob. HALLERO valvuloſa *s)*, & ab ABRAHAMO KAAUWIO antlia pneumatica aëre repleta.

n) Veslingii Syntag. anat. & append, p. 319.

o) Haller. Elem. Phyſiol. Tom. I. p. 175. in facie, maſſetere, parotide, & margine nudo maxillæ inferioris.

p) H. v. Moinichen apud Bartholinum centur. III. epiſt. I.

q) A de Marchettis apud Camerarium in Epiſt. Taurinenſibus, p. 148. 149, Humphredus Ridley in Anatomy of the brain C II. f. 1 q. q. Nuckius in Nov. invent. p 150. Heuermann. in Phyſiol. Tom. II. p. 209. R. Carr in Epiſt. I. pag. 5. 6.

r) Brunner de gland. pituit. p. 174. Zeller & Haller in Element. Phyſ. Tom. I. pag. 177.

s) Element. Phyſiol. Tom. I. p. 297.

repleta. Et ſuperficies pulmonum vaſculis perreptata, telæ in modum, reperta eſt. Venas ſuperioris artus lymphaticas viderunt RUDBECKIUS atque BARTHOLINUS *t)*, nec non pedum in brutis poſteriorum NICOLAUS STENONIS Filius *u)*; eaque in crure oſtendit JOHANNES van HORNE *v)*. Pellucida dicta inferiorum artuum vaſa deſcribit THOMAS BARTHOLINUS *w)*. Alii reliqua, per *corpus* ſparſa, vaſa diaphana memoriæ prodiderunt & *depinxerunt*, ut abdominis JOH. GEORG. DUVERNOI *x)*; *maxillæ inferioris* RICHARDUS HALE *y)*; *teſtium* MONRO *z)*; crurum *picta* dedit COWPERUS *a)*; *digitorum* pedis NUCKIUS & inguinis OLAUS RUDBECKIUS *b)*.

§. IX.

Orbæ *his vaſculis partes hinc inde occurrunt*, & quibusdam *etiam in locis viſa quidem ſunt hæc* vaſa, ſed minus deſcripta. Sic nec in artubus, dorſo aut interiori capitis regione certo ſatis, qua ortum & finem adhuc viſa ſunt *c)*. Confitetur Nobi-

---

t) Lact. thorac. p. 38.

u) Act. Hafniens. Vol. II. obſ. 97. pag. 241.

v) Diſp. Cl. Sorgeloos de Oecon. Anim.

w) l. c. p. 38.

x) in Comment. Acad. Petropolitan. Tom. I.

y) in Transact. Philoſoph. N. 364.

z) in Diſſert. de Semine & teſtibus.

a) in Append. ad opus Bidloi f. II.

b) Inſid. ſtruct. pag. 110.

c) Halleri Elem. Phyſiolog. Tom. I. pag. 170.

Nobiliſſ. DE HALLER, ſeſe nunquam in artubus vaſa ulla lymphatica vidiſſe *d*).

§. X.

Origo vaſorum jam conſiderandus venit. Habent ortum ſuum hæ venulæ variis ex locis, ut a cavernulis telæ celluloſæ, e magnis caveis & alio. E celluloſa tela teſtium vaſa naſci conjecturam profert ALEX. MONRO *e*), & DE HALLER ſæpius ſe vidiſſe profitetur radiculas vaſorum lactiferorum mammæ inde natas *f*). Caveis etiam natales ſuos vaſa hæc debere teſtatur ventriculus, plurimis inſtructus lymphaticis, & inteſtina vaſis lacteis, chylum ibi abſorbentibus. An ex decoloribus venis oriantur, certa omnino fide dici non poteſt, etenim ſunt exempla, eaque manifeſta, ubi ſeſe in rubras venulas reddunt *g*). Sunt utique Scriptores, qui vaſorum horum ex arteriis ortum in dubium vocarunt, negantes illa per arterias poſſe repleri, quod tamen alii ſibi ſucceſſiſſe dicunt. Sic vaſa lienis renumque per arterias replevit CASP. BARTHOLINUS & lienis vaſa, inflata arteria cœliaca, BORRICHIUS, ita ut & ipſe intumuerit ductus thoracicus. Idem variis in partibus alii præſtiterunt ut ANT. NUCK, in hepate COWPERUS, in rene WALTHER. Per venas quoque, ut per venam portarum, implentur ex Auctoritate LOQUETI, aliorumque. Lympha ſæpius colorata anſam Cl. viris præbuit negandi, vaſa hæc eſſe ex lymphatico genere; ſed hæc ipſa, quam cruen-

d) l. cit. pag. 164.

e) in Diſſ. de Semine & Teſtibus.

f) in Elem. Phyſ. Tom. I. p. 167.

g) Halleri Elem. Phyſiol. Tom. I. p. 168.

eruentam, ſanguineam, rubram vel rubro flavoque mixtam animadverterunt, teſtatur, ex arteriis vaſa lymphatica oriri atque continuari, & ſanguini ad vaſa lymphatica ductumque thoracicum aditum patere. Non quidem fugit, e minimis glandulis vaſa hæc orta dicere MARCELLUM MALPIGHIUM *b)* & ZELLERUM; ſed negare hoc licet, lymphatica enim ibi reperta ſunt, ubi nullus glandulas has viderit.

§. XI.

Hoc modo venæ hæ ortæ, eadem omnino, qua venæ ſanguiferæ, ratione coëunt, & truncos ſenſim majores majoresque conſtituunt, ut magnus tandem inde naſcatur ductus ex adſociatis tot e vario loco confluentibus ramis. Ductus hic, thoracicus *dictus*, *cum aorta*, *rectus*, ſed undulatus tamen *adſcendit ſub itinere*, ad venarum aliarum ſimilitudinem plures excipiens trunculos, & chyli receptaculum format, unde in venam, ex hoc genere, maximam quidem, & chyli lymphæque communem increſcit. In hunc jam ductum ex minoribus ramis chylum & lympham omnem infundi, indeque ſanguini reddi, eadem omnium Anatomicorum, a primo detectis vaſis, fuit ſententia. Et hæc quoque BOERHAAVII fuit conjectura, qui venæ cavæ inſtar ductum thoracicum eſſe dixit.

§. XII.

Veteres Anatomici, non in ductum thoracicum, ſed rubras venas, infundi lympham, contendentes ad varias rubri ſanguinis venas vaſorum lympha-

b) de Gland. conglob. p. 4.

lymphaticorum finem deduxerunt *i)*. At vero multis nominibus probabilius dici poteſt, nulla in venas rubras inferi lymphatica, ſed ductum chyliferum commune horum vaſorum receptaculum eſſe, quod lympham prius receptam in ſanguinem infundit. Et affirmat DE HALLER, ſe nullum unquam reperiſſe vas, vere in venam aliquam rubram terminatum *k)*, atque graves ſibi eſſe rationes de omni vaſorum lymphaticorum cum rubris commercio dubitandi *l)*. Conſueto etiam naturæ ordini hoc magis conſentaneum videtur; nullæ enim minores venæ ullibi majores in truncos immiſſæ perſpiciuntur, ſed ſenſim ſenſimque in majores venas collectæ.

§. XIII.

Conglobatarum glandularum mentionem injicere utique oportet, utpote quas pellucidæ venæ vel omnes, vel plurimæ ſaltim, adeuntes obſervatæ ſunt. Viſæ ab Auctoribus ſunt hæ glandulæ atque per totum fere corpus obviæ ab eis deſcriptæ. Originem vaſorum lymphaticorum ex parvis his & oculis vix conſpicuis glandulis, ſunt, qui minus recte, derivaverint; has namque ſub ſua, ad chyliferum ductum, via trunculi lymphatici aliunde antea nati adeunt & perambulant, & quidem earum interdum non unicam, ſed ſæpe etiam plures. Ad quin-

i) Nicol. Stenonis fil. in venas axillares & venam cavam. Nuckius ad venam ſubclaviam. Hartman in axillarem & cavam venam deſcendentem. Ruyſch in venas ſubclavias & axillares. Drelincourt in ſubclavias. Reverhorſt in venam cavam & portarum. Wepferus in hypogaſtricam. Hebenſtreit in azygam.

k) Element. Phyſiolog. Tom. I. p. 180.

l) Elem. cit. pag. 179.

quintam usque ex conglobatis glandulam vaſculum quoddam meſenterii lacteum perſecutum fuiſſe Nobil. DE HALLER, ex ſcriptis ipſius habemus *m*). Originem itaque ſuam vaſa lymphatica his glandulis haud debent, ſed per eas tantum dividuntur atque iter ſuum faciunt. Multa quoque tam aquoſa, quam lactea vaſa glandulas haſce omnino prætereunt & intactas a tergo relinquunt *n*).

---

m) Elem. Phyſ. Tom. I. p. 185.

n) G. Blas Anat. Anim. p. 25.

CLXXX.

CLXXX.

FEBRIUM INTERMITTENTIUM CURATIO VARIA

QUAM

PRÆSIDE

D. D. CAR. A LINNÉ

PRO GRADU DOCTORIS

exhibuit Auctor

PETRUS C. TILLÆUS

Westmannus.

Upsaliæ 1771. *Decembris* 11.

---

§. I.

Plurima, eaque diversissima, omni ævo, contra *febres intermittentes*, celebrata fuisse remedia, non mirabitur, qui, de natura, indole & caussa harum febrium proxima, innumeras fere Auctorum Theorias & opiniones, pro cujusque eorum, systemata morborum condiendi ingenio & solertia, excogitatas, perpenderit. Mei non fert instituti ratio, cum nec temporis angustia, nec vires tenellæ hoc admittant, omnes, quotquot in scriptis occurrunt hac de re, Medicorum

rum ſententias jam commemorare. Harum etiam pleræque tam abſurdis prorſus nituntur luxuriantis ingenii commentis, ut æternæ oblivioni & ſilentio numquam rumpendo, jure, vel optimo, tradi debeant. Quædam tamen mitiorem ideo merentur cenſuram, quod fundamento validiori, ſaniorisque mentis, variis non obrutæ præjudiciis, ratiocinio fultæ ſuperſtructæque videantur. Harum jam, miſſis omnibus, tam antiquioris, quam recentioris temporis fictionibus theoreticis, mentionem inferre, breviſſimam licet, mecum conſtitui, doctrinæ, qua ſeſe, noſtra potiſſimum ætate, medicinæ cultoribus commendarunt, explorandæ cauſſa maxime ductus. In arduo vero & perdifficili hoc opere peragendo, magnopere mihi venit expetenda *Candidi Lectoris* benevolentia & æquitas; cumque labi ſit humanæ ſortis, labentem vero erigere probi interſit hominis, omni humanitatis officii ſpe deſtitutum me non fore, certus confido, dum mea qualiacunque, de auctorum judiciis, ſenſa, pro modulo ingenii, modeſte ſimul exponere auſus fuero.

§. II.

In *primis*, ſic dictis, *viis*, VENTRICULO nempe & *canali inteſtinorum*, veram febrium intermittentium cauſſam plurimi ſe inveniſſe putarunt. Inter primos, theoriæ huic mire deditus *Laur.* BELLINUS, in ſyſtematis formam hanc redegit hypotheſin *a)*, ejusque poſtea, reliqui omnes, mutatis parum mutandis, inſtiterunt veſtigiis. Is, cum ægrotos, hoc febrium genere affectos, videret interdum vomitu viſcidum quoddam ejicere, gelatinæ ad inſtar tremens, in ventriculo eorum mox

a) in Opere de Febribus Bonon. 1683.

mox ſtatuit morbi focum & fomitem eſſe quærendum, eo ſcilicet modo, ut viſcidæ, qua ventriculum auguratus fuit onuſtum, blennæ pars, die a febre libera, aliqua, neſcio qua, ratione ſoluta, inque ſanguinem abſorpta, paroxyſmos excitaret periodice revertentes. Hujus, in genere, opinionis ſectatores, qua ſpecialiorem illius explicationem, vario videmus deflectentes modo. Sic, *Franc. de le Boë* SYLVIUS *b)*, a valvulis in ductu pancreatico ad tempus obſtructis, febriles deduxit motus; ejusque etiam adſtipulari videtur aſſertioni *Chr. Democr.* DIPPELIUS *c)*, licet paullo ſubtilius illam expolire fuerit conatus. *Th.* WILLISIUS chylum acidum, totam ſanguinis maſſam, fermento quaſi inquinantem, originem poſuit motuum horum febrilium; nec parum abludit *Steph.* BLANCARDUS *d)*, qui ex aſſimilatione chyli impedita, febres tradit oriri intermittentes. FERNELIUS *e)* denique & RIVERIUS, a bile in duodeno nidulante, hoc morborum genus excitari, hariolati ſunt.

Sententias horum, ut mirum in modum abſonas, plane quidem faſtidiunt illi Neotericorum, qui generalem, de febrium intermittentium origine, theoriam, per vitia in primis viis explicabilem, admittunt. In dogmatum ſuorum demonſtranda veritate, aliam ingreſſi ſunt viam, ex ſymptomatibus & curatione morbi, argumenta capientes. Sic, *cibi inappetentiam, nauſeam, vomitum, ructus, linguæ ſaporem perverſum, ſitim, anxietates præcordiorum,*

b) Prax. Medic. Id. nov. 1667.

c) Morb. & Medicin. vitæ animal. p. 75. 76.

d) de abditis rerum cauſſis L. II. 1548.

e) Lexic. Medic.

rum, *cetera*, tot ponunt febris, ex organo digeſtionis & chyliſicationis perturbato, exortæ indicia; cumque porro, remediis vel *emeticis*, vel *purgantibus*, has perhibeant febres *unice* fuiſſe profligatas, eo majus inde opinioni acceptæ robur addi, ſibi gratulantur. Inter Recentiores ſaltem juvat nominaſſe J. JUNCKERUM *f)*, D. S. MADAI *g)*, & *Henr. Joſ.* REGA *h)*, in eo inprimis occupatum, ut ventriculum probet plurimorum eſſe morborum cauſſam generalem.

Ut paucis de doctrina hac, qua ventriculus & inteſtina in cauſſa ponuntur febrium intermittentium, mentem meam aperiam, eo minus me aſſentire, profiteor, ſententiæ *Belliniance*, quo certior ſum, febres dari intermittentes, in quibus nil uſpiam veſtigii invenire licebit viſcoſæ talis materiæ, per vomitum ejectæ. Ceterum, febres illæ intermittentes, a loco, quem occupant corporis ſpecialiori, dictæ *Topicæ*, ſatis oſtendunt, cauſſam in ventriculo aut inteſtinis haud eſſe inveniendam, cum nec methodo curationis obtemperent evacuatoriæ *i)*, nec probatu facile eſſet, partem corporis, ab imo ventre ſæpe remotiſſimam, febre tantum affici, vitiata exiſtente tota digeſtionis & chyliſicationis officina, unde majus in corporis partes nobiliores, primisque viis propiores, certe immineret febris accendendæ diſcrimen. Pituitam etiam immerito pro cauſſa harum accuſari febrium, evidenter demonſtrant obſervationes, quæ, ſub ipſo Salivationis Mercurialis uſu, febres obortas ſuiſſe inter-

f) Conſpect. Med. Th. pract. Tabb. 78. 79. p. 641. 649.

g) Abhandlung von den Wechſel-Fiebern p. 148. ubi de febre potiſſimum agit tertiana.

h) Tractat. de Sympathia Cap. XIII.

i) Cfr. illuſtr. *v. Swieten* in Comment. ad Aphor. 757.

intermittentes, nos faciunt certiores *k*). Etenim his in casibus, humorum viscositas, si quæ fuerit, hydrargyri ope plane fuisset soluta, sanguisque liquidissimus.

Quod ad illas attinet objectiones, quæ ex symptomatibus, antea dictis, ab Auctoribus deprómi solent, non quidem deneganda est observationibus eorum fides nostra, quin potius lubentissimi in eandem nos rapimur experientiam. Illa enim teste quotidiana, ejusmodi malis sæpenumero intermittentes stipari febres, plane sum convictus. Ex horum autem symptomatum præsentia, caussam ipsius febris primis inhærere viis, perperam judicari crediderim, cum etiam illis absentibus, febris tamen æque maneat intermittens, eorumque accessio in his febribus ac in continuis & phlogisticis, nil nisi morbi deteriorem designet statum atque conditionem. Quis, quæso, unquam diceret, *Pleuritidis* vel *alius febris inflammatoriæ* caussam, in capite ideo quæri debere, quod ægrotus de capitis conqueratur dolore? Pro symptomate hoc potius haberet, febribus quibuscumque per consensum maxime familiari. Idem de symptomatibus in febre intermittente occurentibus, esto judicium.

Nec eorum ab omni parte stare possum, qui, febres *intermittentes* ope remediorum, vel *emeticorum*, vel *purgantium*, spreto omni alio auxilio, *unice* sanatas fuisse volunt, quo de origine & fomite harum febrium in primis viis latente, nos convincant. Notum enim est, quam quod notissimum, post horundem remediorum sat diu perspæpe protelatum usum, ad alia præsidia, remedia illa sic

k) Tales in praxi sua obvios fuisse casus illustr. refert *van Swieten* in Commentar. ad Aphorism. 757.

dicta *febrifuga*, tamquam ad ſacram nos confugere debere anchoram, quibus tamen, ſi priora omne curationis abſolverent opus, ut minus neceſſariis, commode carere poſſemus. Quid, quod, metus recidivæ, poſt febrem ſpecifico curatam, unico, vel mitiſſimo dato remedio purgante, mox imminet, quæ morbi reverſio, nunquam certe eſſet pertimeſcenda, ſi fomes & cauſſa mali, ope evacuationis alvinæ, tota quanta expelli poſſet. Mecum hac in parte conveniunt Celeb. Viri *Sydenham l)*, *van Swieten m)*, *Senac n)*.

§. III.

In SPASMODICA *ſyſtematis nervoſi affectione*, legitimum febrium intermittentium ortum & fontem, alii poſuerunt, in arte ſalutari, viri clarſ. Veteres *dudum in eandem incidiſſe opinionem*, *BORELLUS*, *J. JONES*, *BESANCON* & *G. COLE* nobis erunt documento, pluribus ut ſuperſedeam exemplis. *Borellus* recurſum & fermentationem ſucci nervoſi, in tranſitu per nervos & glandulas in vaſa lymphatica, obſtructi, cauſſam ponit proximam *o)*. *J. Jones* crudas, acidasque ſanguinis particulas, in ſuperficie corporis hærentes

---

l) Monet hic *Celeberr. Vir*, a leviſſima catharſi, immo ab enemate molliſſimo ex lacte ſaccharato; recidivæ periculum imminere. *Vid.* Ejus *Epiſt. reſponſ.* I. p. 386.

m) in *Commentar.* ad *Aph.* 757, ubi teſtatur febrem horum præſidio nunquam iri curatum, verum potius tali methodo tractatam, reddi pertinaciorem, & altiores figere radices. Cfr. *Sydenham* Sect. I. C. 5. p. 114. *Bagliv.* Prax. Medic. L. II. C. X. §§. II. V.

n) in Tractatu de *recondita febrium natura*. p. 7.

o) de *motu Animal.* p. 2. C. 22. prop. 225. pag. 289 &c.

tes & fibras ibi nerveas vellicantes, asserit *p*). *Besançon* etiam ab aciditate sanguinis, nervorum succum credit infectum iri *q*); & *Cole* demum, caussam latitare autumat in nerveo succo, nescio qua ratione, depravato, unde primo in partium fibrosarum intervallis lancinatio & rigor, deinde iis acribus particulis, in sanguinem receptis, calor succedat *r*). Futiles vero hæ omnes explicationes, non nisi vanas suorum Auctorum sapiunt conjecturas, meque ad ea jam properare incitant tempora, in quibus scientia nostra majoribus inclaruit luminibus; Immortalem, loquor, BOERHAAVE, ejusque Commentatorem illustriss. VAN SWIETEN, *Fr.* HOFFMAN, *S.* SCHULZE, *J. Th.* ELLER, *J. de* GORTER, *Chr. G.* LUDWIG, nostrumque b. m. *S.* AURIVILLIUM, qui omnes, pro vindicanda febrium intermittentium origine a spasmodica nervorum constitutione, desudarunt. Variis, sententiam suam defensitare conati sunt argumentis, ad quinque tamen commodissime referendis, quorum jam, sequenti ordine, mentionem inferre lubet. Notarunt 1:o *Febres* hasce sæpissime ab affectibus animi fuisse excitatas *s*); 2:o *subitos*, insignesque animi motus, quandoque febres sanasse intermittentes *t*); 3:o *Paroxysmos* interdum cum

p) de *morbis abstrusioribus*, Tract. I. *de febr. intermitt.* Lond. 1683.

q) *Nouveau traité des fievres*, où l'on explique la cause & la nature de ces maladies, &c.

r) *Nova hypothesis de febr. intermitt.* Lond. 1693.

s) Ejusmodi refert Exemplum *v. Swieten* in suis ad Aphor. 755. Commentar. & *Tralles* usus opii sal. & nox. S. II. C. II. §. 4. p. 70.

t) *van Swieten* loc. citato.

convulsionibus invasisse ægrotantes *u)*; 4:o *Eadem*, quæ in epilepticis laudari solent affectibus, remedia *Antispasmodica*, in his febribus præclaro se gessisse usu; *e. gr. Ol. animale*, *Cajeput*, (*Melaleucæ Leucadendræ*), *Cornu Cervi*; *Theriaca*; *Pilulæ Wildeganſii*, ceteraque *Opiata*. 5:o denique, *Corticem Peruvianum*, efficacissimum illud ad omnes febres intermittentes remedium, adeo pulchrum etiam in morbis hystericis & hypochondriacis habere usum *v)*, inprimis autem profuisse illis in casibus, ubi validissimi aderant spasmi, teste *Sydenhamo w)*.

Modum jam ipsum, quo spastica hæc nervosæ fabricæ strictura oboriri possit, subtile satis & ingenioſe, an recte? demonstrare voluerunt nonnulli. *De Gorter*, vasorum sanguineorum internas cavitates, peculiari quodam mucilaginoso humore credit obductas, quo adversus acrimoniam sanguinis muniantur; illius proventu, ex certis causis cessante, irritari tunicas vasorum nerveas, & hanc irritationem producere spasmum febrilem. *Chr. Gottl. Ludwig x)*, lentorem sanguinis, circulationem in minimis vasis totius corporis, potissimum vero musculorum & nervorum, languidiorem efficere, existimat, quo facto, fluidum nerveum in motu suo cohibito, spasticos excitat tremores. Ill. *van Swieten y)* cum *Bærhaave* eandem fovet sententiam, in adstruenda, scilicet, viscositate liquidi arterioſi, & nervoſi, tam cerebri, quam cerebelli,

u) *v. Swiet.* l. c. & Generosiss. D. Archiatr. & Equ. *Rosen v Rosenstein* in *Colleg.* Suo *Mscpto* testatur se idem in studioso juvene vidisse exemplum.

v) ut verbis ipsis utar *v. Swieten* l. c.

w) Dissertat. Epistol. p. 519.

x) Prax. Clinic. Cap. de febr. intermitt.

y) in Commentar. ad Aphorism. 755.

belli, cordi deſtinati, inertia, unde vis cordis erit debilior ad ſanguinem in arterias propellendum, earumque minor, in ſuum contentum fluidum, reactio, eodem tempore, dum cor eſt in diaſtole. Hinc frigus extremorum corporis, facile venit explicandum. Ut tandem colophonem huic addam materiæ, mentem tantum adferre liceat *non nemini*, qua ſpasmi hi febriles a materia quadam acri & irritante, ad certas corporis partes devecta, paroxyſmorum vero ope pedetentim diminuenda, emergare cenſentur. Utque robur huic aſſertioni accedat, ad metaſtaſes provocatur febriles, poſt quartanam, illamque febrem intermittentem, qua infantes prima vice afficiuntur, enaſci conſuetas, quæ, quamdiu loco permanent ſuo, a febre prorſus liberare, illis vero retrocedentibus, febrim iterum e novo excitare, valent.

§. IV.

Nominatarum ſæpe febrium originis culpam, nec deſunt qui in HEPAR conferre ſtudent Medici Scriptores, quorum præcipui mihi nunc nominandi veniunt inter recentiores, MADAI & SENAC. *Alter*, in ſtagnatione, coacervatione & congrumatione ſpiſſiorum in hepate humorum, cauſſam ponit materialem *z*); *alter* in ipſa bile ejusque viis obſtructis, eandem quærit *a*). Ex colore corporis ſubflavo, *inprimis* vero tunicæ oculorum adnatæ & faciei, atque induratione jecinoris in iis, quos diu vexaverit febris intermittens, de vitio quodam in hoc viſcere latente, facile nobis eſſet concipienda ſuſpicio, ni obſtarent rationes, de hac

z) p. 69. 190. 198.

a) de recond. febr. nat. L. I. C. III. Huc etiam referas *Clegborn*, Obſerv. on Epid. diſ. in Minorca p. 124.

theoria nos in dubium adducentes. Etenim, ut verba ipsa mutuer Nobiliss. Prof. & Medic. Regii b. m. *S. Aurivillii b)*, *obscuritatem inducit, quod iisdem ex caussis, haud quaquam in singulis, qui earundem patiuntur vim, febres hæ accendantur, sed aliis hi interdum corripiantur morbis.* Præterea scimus *Iterum*, legitimam bilis in suis meatibus præpeditæ sobolem, febres communissime subsequi intermittentes, easque quasi mora diuturniori in hunc degenerare chronicum morbum, vel ex neglectu tam rectæ victus rationis, quam remediorum salubriorum, vel alia quacunque ex caussa.

Materiæ huic, in qua jam fui occupatus, antequam finem penitus imponam, non injucundum, spero, fore Lectoribus, si novissimam Generosissimi *mei* PRÆSIDIS, de febribus intermittentibus Theoriam, cum illis communicavero. Palmam facile omnibus præripit hæc ingeniosissima *Tanti Viri* opinio, quæ, intricatissimam, in origine harum febrium indaganda, acu quasi, rem tetigisse merito videtur.

In antecessum notare expedit, eam hoc loco non intelligi *Illustr. Viri*, de caussa febrium intermittentium proxima, mentem, quam in *Amœnitatibus suis Academicis T. I.* sub nomine *Hypotheseos de febrib. intermit. novæ*, inseri curavit *Generosiss.* PRÆSES. Indefesso enim studio & indagatione consummatissima, illius substituit loco, quam amplexus fuit noviorem Theoriam, hancque, pro gratia sua solita, saventissime etiamnum mihi impertiri dignatus est.

§. V.

---

b) Vid. Elegantiss. Ejus Dissert. de febrib. intermitt. malignis. p. 19.

§. V.

Transſpirationem corporis noſtri inſenſibilem, quodammodo læſam, in his febribus producendis, omne fere punctum ferre, graviſſimis evinci poteſt argumentis *c)*. Cito hanc ſupprimi perſpirationem, ab aura vel leviſſime frigida, dum ſubitaneæ, in frigidiorem ſtatum, caloris mutationi, incaute corpus expoſuerimus, omnibus manet in confeſſo. Attractioni vero, qua humiditatem aëris, poris apertis, avidiſſime recipit corpus, ſuam debet hæc ſuppreſſio originem. Particulas aëris, ſive mere aqueas, ſive noxiis inprægnatas effluviis, a corpore attractas, cum ſanguine demum commiſceri, corporis probat hinc auctum pondus *d)*, ſanitatemque ab his, corpori alienis ſæpeque inimiciſſimis, alterari particulis, tam ſana a priori demonſtrat Theoria, quam communis a poſteriori teſtatur experientia. Etenim, a loco calidiori in frigidiorem delati, mox toto exhorreſcimus corpore, & ab aura frigida, in partem corporis calore artificiali humentis, cujus tum pori ſunt patuli, per rimam parietis vel feneſtræ, agente, pars hæc frigus paſſa rigeſcit, cum dolore ſæpe maximo ex actione ſubjacentis muſculi, & febri, veſpere tamen exacerbante, licet leviori. Sic etiam novimus, a leviſſima quamvis pedum refrigeratione tempeſtate humida, dum antea incaluerint, nos Coryza mox aſſici interdum pertinaciſſima. His

c) Transſpirationi impeditæ febres intermittentes ſuam debere originem, probare adnituntur *Franciſc. Home* in *Inſtitut. Medic.* p. 85. 86.; *Ph. Fermin Inſtruct. importantes au peuple ſur l'Oeconomie animale* T. I. p. 195. 196 *Acta R. Acad. Scient. Suec.* Vol. XVI. p. 277. *Huxham* de *febribus* p. 48.

d) Experimentis hoc paret Cel. *Keillii*, pluries accuratiſſime inſtitutis. Cfr. *Ejus Aphoriſ.* 45. 46. 48.

omnibus in casibus, aër in corpus nostrum immissus, non nisi ratione frigoris, vel etiam humiditatis conjunctæ, accusari potest horum malorum caussa; in aëre vero nosmet ambiente, multas, diversissimæ naturæ, hospitari particulas, acidas, putridas, &c. quis iverit inficias? Vaporum forma ab aquis stagnantibus, sepulchris, cellulis diu occlusis, animalibus & vegetabilibus putrescentibus, in altum exsurgunt putridæ in aëre volitantes particulæ; acidumque aëre inesse proprium, ab omni acidorum genere remotissimum, ex effectu ejusdem in obvia corpora, a nobis haud imitando, facile evinci potest. Liquores animalium hoc acido in coagula abeunt nonnulli, e. gr. *Serosa pars sanguinis*, *Lac*, &c. Succique Vegetabiles hinc acescunt fere omnes, e. g. *Cervisia*, *Succi expressi*, *Olea unctuosa*, *Emulsiones*, &c.

Huic aëris acido, a corpore attracto, natales jam debere febres intermittentes, certus asserere haut dubito. Suam etiam, in his producendis febribus, conferre symbolam, particulas aëris, exhalationibus corruptas putridis, negare nec audeo, cum quid certi hac de re non facile statuam. Distincto jam adferre lubet ordine, argumenta potiora, quibus innititur, de origine harum febrium, Theoria hæc nova.

1:o Verno tempore & autumnali, tempestate humida & frigidiuscula, maxime hæ grassantur febres.

2:o Locis paludosis & cœnosis, mutationique aëris minus expositis, endemice quasi invadunt nominatæ febres.

3:o Corripiuntur facillime his febribus illi, qui concamerationes ædium inhabitant inferiores, &

vernali

vernali ingrediente tempore, hiberna nimis mature deponunt veſtimenta, vel alia quacunque ratione aëri ſeſe committunt incauti, corpore æſtuante, frigidiori nebuloſo.

4:o Aegrotantium hoc febrium genere, ſudor peculiari tam ferit nares acido odore, ut quo morbo æger laboret, primo mox odoratu nullo dici poſſit negotio.

5:o Morbum tollunt amara acidum infringentia.

6:o Acidorum vero uſus eum reddit curatu multo difficiliorem, quippe quæ cauſſam, pluribus ſuffulciunt particulis multiplicativis.

His itaque allatis patere exiſtimo, *cauſſam* febrium intermittentium *proximam*, in *coagulatione ſeroſæ ſanguinis partis, ab aëris acido facta*, eſſe *quærendam*. Ea enim eſt ſeri ſanguinis ab ejus cruore diverſa indoles, ut *illud* in aceſcentiam, *hic* vero in putredinem, admiſſo diutius aëre, abeat *e*).

§. VI.

Adumbratis ſic pro virili, præcipuis Auctorum de febribus intermittentibus præceptis Theoreticis, varias *ipſorum* in iisdem morbis methodos curatorias *jam ordine debito* exſequi, diſſertationis ſuadet ſcopus. Tanta vero nunc ſeſe offert remediorum farrago, *indigeſtaque moles*, ut, quo, vel

e) Plura qui de hac re ſcire cupit, *Amœnitates* adeat Illuſtriſſ. *Præſidis Academic.* T. V. p. 24. 25. & Tom. VI. p. 426. Conferatur etiam Celeber. *J. Grainger* in *Hiſtoria Febris Anomal. Batav. annor.* 1746. 1748. Cap. 5. ubi febres has, corrupti & humidi aëris eſſe ſobolem contendit.

vel exordiar, vel finem imponam, omnium mihi fit difficillimum intellectu. Pro vario tamen horumcunque in corpus humanum agendi modo, quo vel ſordidos *evacuent* humores, vel fluidas *permutent*, firmasque *roborent* partes, ad *binas* ea generatim referre *Claſſes* conſultum duxi, quarum *altera* remedia comprehendet EVACUANTIA, medicamina vero *altera*, nuncupari ſic ſolita CORRIGENTIA ſ. ALTERANTIA complectetur.

Omnia autem, tam auctoribus celebrata, quam ab inſulſa plebecula decantata remedia anilia, a recta ſæpe medendi methodo alieniſſima, non eſt, quod me allaturum fore, exſpectet quisquam, cum ſupervacanei prorſus & inexhauſti, limitesque diſſertationis multum exſuperantis, hoc eſſet laboris opus.

§. VII.

Cl. I:a. EVACUANTIA.

Horum merito ducunt agmen 1:o EMETICA, quibus tempeſtive adhibitis, ab omni retro antiquitate conſtat, febres intermittentes, in primis quaſi incunabulis, fuiſſe jugulatas. De tempore, quo optimo cum ſucceſſu propinari debeant hæc præſidia, non æque convenit inter Medicos ſcriptores. Aegrotis eadem ita porrigenda eſſe ſuadent *Sydenham* & *Boerhaave f)*, ut effectum mox ante febris acceſſum exſerant. In ipſo paroxyſmi momento, eadem feliciſſimo cum eventu, dari commendat *Alex. Thompſon g)*, viginti annorum doctus experientia. Maxima cum euphoria, vomitum

f) Aphoriſm. 759.

g) Medical Eſſays T. IV. p. 407.

mitum ciens medicamentum, in limine horroris & caloris, se dedisse testatur, explorata & certa fide cum *Celso*, *Grainger b)*. Laudat denique vomitoriorum usum *Pringle i)*, paroxysmo finito, qua methodo semper ei successit emeticis has sustulisse febres. Meam ut in hoc dissensu, breviter adjungam sententiam, nulla horum mihi magis arridet Auctorum methodus, ac illa Celebr. *Pringle*. Emeticis enim hoc more exhibitis, tantæ, ac in corpore cum febre reluctante, non excitabuntur turbæ; exemplaque novi *Holmiæ* exstitisse, funestissimi, ab emeticis methodo *Alex. Thompson* datis, eventus, mortis nempe ex subita ventriculi inflammatione violentissimæ.

Sed ut e diverticulo in viam revertar, ad præcipua, in febribus intermittentibus usitata emetica recensenda remedia, nunc est deveniendum. A simplicissimis ut exordium capiam, omnium primo mihi venit nominanda *Aqua simplex*, *tepida*, *subsalsa*, quam ad vomitum cogendum olim dedit *Celsus k)*.

Remedia illa emetica fortiora, Drastica dicta, merito sileo, quamvis a multis his in morbis proficua censeantur, cum mitiora semper eximioris sint usus, omni in casu, dum emesi haud violenta sit opus.

2. Radix *Ipecacuanhæ*, quæ plerisque vomitoriis, ob efficaciam cum securitate junctam, palmam merito præripit, in his febribus, non sine utilitate, etiam adhiberi suevit. Ejusdem legimus potissime

---

b) p. 84. 85.

i) De morb. Castrensib. *Ed. Germ.* p. 206.

k) Libr. III. Cap. 12. p. 141.

tiſſime commendari infuſum, a *Gianella l)*, quod, per plures dies, horis aſſumendum erit matutinis. Radicis etiam pulveri, Sal addi, vel alcalinum vel medium, calcaris inſtar, ad ſordes magis incidendas, notiſſimo omnibus compertum eſt uſu.

3. Radix *Aſari* in decocto vinoſo laudatur a *S. Schulze & Klaunigio m)*, horaque ante paroxyſmum proxima, hoc ſuadent partitis ingerere vicibus decoctum. *Quid, quod*, tamquam ſpecifica hæc decantatur radix in *Actis Berolinenſibus n)*.

4. Radix *Trioſtei* (perfoliati) emeſin fortiſſime movet robuſtioribus novæ Angliæ incolis, in pulvere exhibita, doſique mediocri, adverſus febres omnes intermittentes, tutum, certum & minime fallax ſalutatur remedium *o)*.

5. Radix *Scillæ*, frequenti, contra febres intermittentes, eſt in uſu plebi *Brunsvicenſi*, ut refert *I. H. Langius p)*. In pulvere, ad cultri cuſpidem cum aceto, hunc propinant bulbum, unde aliquoties vomunt, vel alvum dejiciunt, & repetito ſic hujus medicaminis uſu, fomes in ventriculo ſordidus tandem eliminatur.

6. *Sedum acre*, vel ut aliis dicitur *Illecebra*, inter præſtantiora quidem numeratur antiſcorbutica, vomitum tamen, quia hanc ſucculentiſſimam comperit interdum ciere plantam Celebr. *Lemery*, ob

---

l) de admirabili Ipecacuanhæ virtute in febr. intermitt. curandis.

m) Noſocom. Charitatis.

n) Decad. I. Vol. IX. p. 37.

o) *Clayt.* Virg. p. 142.

p) Tentam. de *remed. Brunsvicenſ. domeſticis.* p. 174.

ob eam ipsam virtutem, in febribus etiam illam commendat intermittentibus *q)*.

7. *Tartarus Emeticus*, *Cbermes Mineralis* & *Sulphur Auratum Antimonii*, ut natura parum discrepantia vomitoria, etiam promiscue his in febribus usurpantur. *Priora* tamen *bina*, in mixtura aquosa ad grana quatuor, Medicis præsertim arrident Gallicis, ægris propinanda. *Posterius* multa prosequitur laude *Fr. Hoffmann*, in febribus præcipue autumnalibus diuturnis *r)*. Alias, tamquam specificum, cum sale medio temperatum a Scrupulo ad Drachmam, effertur *s)*.

§. VIII.

Emetica jam ordine excipiunt 210 remedia, quæ per ductus evacuant salivales, SALIVANTIA dicta MERCURIALIA. Rarissimi tamen omnium hæc esse usus, pro his curandis morbis, profiteri mox oportet, ut neminem, præter *Th. Willis* & *S. Schulze t)*, eadem ut proficua in nominatarum febrium curatione, commendare noverim. Quem vero hæc medicamina præstent usum his in malis, mihi non contigit videre fors beatior, ac *Dno Petit*, qui eorundem etiam in dubium vocat præstan-

---

q) Medicine Vegetale par *Buchoz* p. 381. *Lange* pag. 119. 120. In *Itinere Suo Vestrogoth.* p. 180. Nobilissimus *Præses* etiam refert multas, hujus plantæ decoctum, egisse febr. interm. curationes.

r) in Notis ad *Poterii* Pharmac. Spagir. p. 560. Cfr. *Werlhof* de Febrib. p. 77. in not. *b)*.

s) *J. F. Schopp* Dissertat. de Sulphure & remed. ex eodem variis. *Gryphisw.* 1762.

t) Dissertat. de Salivationis usu in Quartana 1743. Hic etiam adjungendus est Medicus Parisiensis, nominis *Baillou*, in *Libro* suo de *Epidem.* 240.

ſtantiam. Experientiæ dictorum virorum, nil cupio detrahendum, caſus vero illorum allatos ita explicari debere autumo, ut de veſtigiis venerei cujusdam ſimul juncti affectus, hydrargyri ope ſublati, levis non exoriatur ſuſpicio *u)*. Salivationem præterea Mercurialem, curationis febrium intermittentium non rite fungi officio, ex allatis in §. II. ſatis patet.

§. IX.

Sequuntur 3:o, quæ, *fordes inteſtinorum* eliminando per alvum, remedia LAXANTIA, ab omni ætate ſemper deprædicata fuerunt aptiſſima ſcopo febrium intermittentium curatorio. Ob mitiſſimam agendi indolem, qua, viſcidas inteſtinorum, incidendo, impuritates diſſolvunt *Salia Digeſtiva*, primo, ratus ſum, ea ponenda eſſe loco. Præcipua horum celebrantur: *Sal Anglic.; de Seignette, Seidlicenſe, Mirabile Glauberi; Cremor Tartari, Tartarus Tartariſatus; Terra fol. Tartari, Sal febrifug. Sylvii; Arcanum Duplicatum; Sal Polychreſt.*; *Sal Abſinth. citrat.*; & quæ reliqua. Promiſcue hæc omnia, in forma vel pulveris, vel hauſtus, pro medentis & ægroti lubitu, die a febre libero, propinari vulgo ſolent. Cortici etiam eadem interdum notamus juncta fuiſſe Peruviano *v)*.

Peculiarem ſibi conciliavit famam uſu præclaro *Sal Ammoniacum*. Summis hoc extollit laudibus, Celebr. apud Batavos Medicinæ Profeſſor *V. G.*

---

u) Vid. Illuſtr. *de Sauvages* Noſolog. Method. T. II. P. I. p. 325. 326.

v) *Clegborn* Sal adjunxit chinæ cortici amarum, in curatione Tertianæ Balearicæ; *Vid.* Cap. 3. p. 193.

G. *Muys* w), cui multis conſtitit experimentis, illud, vel ſolum, vel febrifugo cortici ſociatum, præſentaneam in febribus intermittentibus tuliſſe opem. Opportuno ſic modo, hasce curatas fuiſſe febres, cum ad aures perveniret medicorum, cordatos eorum, non eſt quod miremur, avidiſſime arripuiſſe quotquot ſeſe obtulerint occaſiones, ut periculum hujus pharmaci facerent virium. Plurimos nec ſuæ dediſſe curioſitatis pœnas, omnibus manet in confeſſo. Etenim, præſtantiam hujus ſalis multis multi celebrant præconiis. *J. L. Löſeke* x), ex propria teſtatur experientia, plures, hoc ſale ac cortice peruviano, febres ei fuiſſe ſanatas intermittentes, ipſamque quartanam, per integrum quamvis annum continuatam, unica tantum ſalis hujus Drachma, momento citius fuiſſe jugulatam. *Fr. J. Lautter* y), non ſolum plurimas tertianas ſimplices, ſed & duplicatas ſatis graves, ut & quotidianas multas, atque quartanarum aliquas periculi non expertes, repetito ante paroxyſmum ſalis hujus uſu, felici cum ſucceſſu debellaſſe ſe fatetur; immo, caſum adfert Tertianæ remittentis, in quo hoc ſal, incaſſum adhibito cortice peruviano, omne tulit curationis punctum z). *J. H. Lange* a), ab ejus in quartanis uſu, eas non tantum exulaſſe pertinaciſſimas, verum etiam ægrotos ab ædematoſis pedum tumoribus prorſus immunes ſervatos,

w) Diſſertat. de præclaro Salis Ammoniac. ad febres intermitt. uſu Francquer. 1716.

x) Abhandlung der Arzeney-Mittel p. 95.

y) Hiſtor. Medic. biennal. morbor. rural. Vindobon. 1761. p. 41. 42.

z) p. 116.

a) de remed. Brunsvicenſ. domeſt. p. 204.

vatos, obſervavit. In patria noſtra, cum nominato ſæpe ſale, inſtituta experimenta, proſpero tam, nos haud bearunt eventu. Febres quidem Salis interdum ceſſerunt uſui, recidivas vero cohibere, id ipſum ſal nunquam valuit, hinc etiam nunc ejus fere eviluit laus. Febres in Germania intermittentes huic obtemperaſſe ſali, mitiori forſitan earum naturæ & genio, regionisque climati calidiori, omnis erit adſcribenda ratio. De cetero, iisdem etiam in terris, ex omni voto non ſemper ſucceſſiſſe Sal Ammoniacum, nobis fidem faciunt *Tiſſot b)*, & *Acta Berolinenſia c)*, quæ, horrorem febrilem, ab eodem adhibito, ſolito citius provocari, perhibent.

2. Radix *Rhei*, cum ſit vulgatiſſimi, in plerisque morbis, uſus, ob mitem fidamque indolem, qua & alvum ſolvit, ſolutamque nimis, comprimit; in his etiam, quæ uſurpetur febribus, a Medicis tantum non omnibus, digniſſima judicatur. In pulvere ſeorſim, vel Salibus addita Digeſtivis, aſſumi ſolet. Tertianam hac radice ſe ſanaſſe aſſerit *Cohauſen d)*, & eandem cortici chinæ unitam, maxime commendat *P. Valcarenghi*, Medicus Italus *e)*.

3. Radix *Scammonei*, ſpecificam poſſidere virtutem, viſa fuit nonnullis *f)*. *Cornachini* pulverem, cujus, ex anatica portione Antimonii Diaphoretici & Cremoris Tartari, compoſitionem ingre-

---

b) Avis au peuple ſur ſa ſanté §. 249.

c) Dec. I. Vol. I. p. 87.

d) *Act. Nat. Curioſ.* Vol. VII. Obſ. 76.

e) Diſſert. de uſu & abuſu Rhabarbari Cortici Peruv. uniti. *Cremæ* 1748.

f) *Blegny* Zodiac. Medic. Ann. I. M. Octobr. Obſ. 2.

ingreditur hæcce radix, multoties opitulatum febribus intermittentibus curandis, obſervavit *Lautter g)*, ne unica quamvis vice alvum ſolverit, vel ſegnem interdum promoverit hiece pulvis. Salutarem hunc ejus effectum, peculiari cuidam vi Scammonio propriæ, adſcribere non dubitat ipſe. Plurimorum de hoc pulvere encomia, Celebr. *Werlhof* in opere *de febribus* recenſet, quo etiam C. L. ablegatum volo *h)*.

§. X.

Transſpirationem corporis inſenſibilem, quæ, ad ſudorem usque adaugent, remedia DIAPHORETICA ſeu *Sudorifera*, commemoranda jam 4:o veniunt, ut in febribus intermittentibus laudata præſidia. Veterrima fuit opinio, balneis atque ſorbtionibus calidis, paroxyſmorum averti recurſum *i)*, & multorum adhuc eadem eſt Medicorum mens; adeo ut non raro occurrat, eos, varias ſuis ægrotis præſcribere formulas ſudoriferorum aſſumendorum *k)*. Morem jam taceo vulgi perverſum, quo ſtragulis fere opprimunt ægrum, eumque potionibus mire cruciant calefacientibus, ex aromaticis acerrimis & ſpirituoſis; hoc enim modo tractatam febrem intermittentem, pluries exitialem eſſe factam, notarunt permulti *l)*.

g) pag. 14.

h) pag. 25. not. c) pag. 144. not. l).

i) *Celſus* l. III. C. 13. p. 142. *Hippocrates* de morb. *Sydenham* Sect. I. Cap. 5. p. 3. Epiſt. reſponſ. I. p. 391.

k) Vid. *Tiſſot* Avis au peuple ſur ſa ſanté §. 249.

l) *van Swieten* in Commentar. ad Aphor. 624. *Grainger* p 102. *Hoyerus* in Miſcell. nat. cur. Dec. 3. Obſ. 46. *Acta R. A. S. Suec.* Vol. VIII. p. 181. *Medical Eſſays.* T. I. C. 31. p. 296.

Ad lenem febricitantibus ſudorem movendum, cum inter aptiora, merito cenſeantur *Aromatica* omnis generis, tam Radices, quam Herbæ & Semina &c., vario modo, forma vel pulveris, vel infuſi aut mixturæ, propinata, ad probatiorum nunc eorum me accingo recenſionem.

1. Radix *Serpentariæ* (virginianæ) familiari fuit *Sydenhamo m)* in uſu, pro pauperibus, loco Chinæ corticis. Effectum præſtitit vere pulchrum, a Dr. I. ad Dr. II., in infuſo data aromatico. Pari quoque ratione commendatur Radix *Contrajervæ.*

2. *Gentianæ albæ* Radix in *Actis Natur. curioſ.* ſalutatur antefebrilis; raſura enim ejus in Spiritu Vini infuſa, & ſemihorio ante inſultum, ter quaterve repetito, hauſta febres & primariæ & recidivæ feliciter fugantur *n).* *Infuſum Meu*, tum radicis, tum ſeminum, frequentiſſimo eſt, in Anglia, contra febres intermittentes, uſu *o).* *Valerianæ majoris*, ſimiliter prodeſſe dicitur, Decoctum *p).* Semina plantarum umbellatarum, tam graveolentium, *e. gr. Leviſtici, Coriandri* &c. quam acriorum aromaticarum, *e. gr. Imperatoriæ, Carvi* & *Angelicæ*, in cereviſia decocta, & paullo ante paroxyſmum propinata, febrem interdum abeſſe faciunt. Notiſſimus etiam eſt uſus ſeminum *Paſtinacæ*, in vino, ante inſultum febrilem, datorum.

Hæc

---

m) Oper. p. 391.

n) Vol. X. App. p. 155. *Lange* Tentam. p. 186.

o) *Blair* Pharmaco Botanologia. Dec. VII. p. 318.

p) Commerc. Noribergenſ. p. ann. 1734. p. 374. De *Bardanæ* radice inſuper narratur, quod Henricum III:um Galliæ Regem, a febre ſanaverit intermittente. Vid. *Senac* de *Recond. febr. nat.* p. 186.

Hæc de radicibus & seminibus sufficiant aromaticis dicta; de *Succis* jam agendum nonnullis, eadem, sed majori, præditis virtute diaphoretica.

Tetrum illud ac nauseosum corpus Gummi resinosum, nomine *Assæ fœtidæ* insignitum, utilitatis etiam nonnunquam haud expers his in febribus invenitur. Ad scrupulum, in connubio cum *Castoreo* lactis fervidi libris duabus infusum, successu non caret interdum. Præter vim suam diaphoreticam, ut antispasmodicum etiam ab iis laudatur, qui in *nervis* caussam latere febrium intermittentium existimant.

Camphora, tritissimum æque ac præstantissimum in omni febre remedium, in hisce febribus etiam præclaro, ad sudorem promovendum, usu inclaruit. Quid, quod, exemplum suppetit, granis tantum nonnullis Camphoræ, in paroxysmo datis, febrem dudum inveteratam intermittentem prorsus cessisse, nec amplius reversam fuisse *q*). Sub intermissione febris, quibusdam magis arridet ejus usus, saltem ita Celeb. placuit *Dxri Barthes*, qui, Camphoræ grana tria, cum Nitri granis octo, quarta quavis hora suis ægrotis assumere, suadet *r*). Breviter demum, ut finis imponatur Sudoriferis, de oleis quibusdam destillatis, in febre intermittente dari solitis, mentionem inferam.

Oleum, destillatione ex *Rosmarino officinali*, elicitum, ad quatuor vel sex guttas, ingruente paroxysmo,

q) Illustr. D. Archiater & Eques ROSE'N *von* ROSENSTEIN hoc ipse vidit in propria praxi, exemplum, ejusque in Suo *Collegio Medico-Practico Mscpto* ulteriorem facit mentionem. Cfr. *Lange* Tentam. p. 142, seqq.

r) Memoires des Savans Etrangers T. V.

roxyſmo, aſſumtum, proficuum edere effectum ad febrem tollendam, dicitur *s)*.

Oleum Cornu Cervi & *Animale Dippelii*, unius ejusdemque proſapiæ animalis, maximis efferuntur præconiis, ad guttas 25, 30, vel 36, in cereviſia cocta, proxime ante febris adventum, ingerenda. Caute tamen cum his mercari, decet, oleis empyreumaticis. Etenim, ſint tibi primæ optime repurgatæ viæ, ante quam eorum efficacitas uſum. Remedio etiam aſſumto, omnis evitetur ſtrepitus atque tumultus, qui ſomnum, cui jam indulgere debet æger, aliquo modo arcere poſſet; experientia enim teſtatur, ægrotantes, quibus, ab hujus pharmaci uſu, contigit ſe dediſſe quieti ſomnoque placido, prorſus vegetos & nil mali perſentientes evigilaſſe. A juſto majori doſi aſſumta, in furorem vere maniacum brevi incidiſſe ægrum, febris tamen cum ſolutione, retulit *Generoſiſſ.* PRÆSES *t)*. Quæ de *Oleo* jam ſpeciatim dicta ſunt *Animali* atque *Cornu Cervi*, de alio etiam valeant oleo deſtillato, *Cajeput* dicto, cujus utendi methodus atque cautelæ ſunt eædem. Plura, qui ex penu remediorum ſudoriferorum deſideraverit ſuppetentia, *Joh. Henricum* adeat *Lange*, in libello antea citato *u)*, ubi catalogum inveniet horum ſat amplum.

§. XI.

5:o DIURETICIS etiam remediis febrem tollere intermittentem, viſum fuit nonnullis. In hanc incide-

---

s) *R. A. Vogel* Mater. Medic. p. 78.

t) Amœnit. Academic. T. I. p. 19.

u) Tentam. de Remed. domeſtic. pag. 113. 122. 126. 137. 139. ſeqq. 182.

inciderunt opinionem, quum, per urinæ hypoſtaſin lateritiam, viderint febris judicari terminum. Quo citius itaque, ſalutarem hanc febrilis materiæ eliminationem fieri promoverent, ad hæc confugere præſidia duxerunt conſultum. Huc pertinent, quæ ſapore gaudent *acri* & vi *incidente*, ut: Plantæ omnes antiſcorbuticæ, tota Tetradynamiſtarum familia, Bulbi plerique, Aromatica etiam multa, nec non Hydragoga ſtricte ſic dicta. In hunc cenſum etiam ſubinde veniunt, quæ, ſuperiori paragrapho commemorata fuere *Sudoriſera*, quum inter hæc & Diuretica parum interſit, qua effectum, diſcriminis; etenim, regimine obſervato calidiori, ſudorem, frigido verum, urinam movent eadem remedia.

Ne exemplis diureticorum, in his febribus, ut proficuis, ab Auctoribus commendatorum, deſtitui prorſus videar, nonnulla adferam.

Naſturtium Aquaticum impenſe a *Sylvio v)* laudatur ut optimum febrifugum; ad quartanam etiam profeciſſe perhibetur *w)*. In febribus intermittentibus ſoporoſis, commendante *Eugaleno*, ſucci hujus plantæ antiſcorbuticæ expreſſi periculum virium, proſpero cum ſucceſſu, fecit *Werlhof x)*. Diſſimili nec ratione, uſus celebratur *Armoraciæ* ſucci.

Chelidonium majus, interdum fruſtratam nec tulit opem in his febribus medendis. *Germanorum* etiam *China*, ob felicem effectum ſalutatur *y)*.

v) Prax. Med. Append. Tract. 9. §. 151.

w) *Hartmanni* Prax. chymiatr. C. 139.

x) de Febribus §. 11. p. 80. 81.

y) *Lange* Tentam. de remed. domeſtic. p. 126.

Succus herbæ recens expreſſus, ad quantitatem dimidii cochlearis, quovis die bis aſſumtus, tertianam quoque bis feliciter profligavit intra quinque dies, gratioſe mihi referente *Illuſtr.* PRÆSIDE. Tam radicem ipſam, quam ſuccum, etiam paſſim apud Brunsvicenſes uſurpari, fidem nobis facit *Lange z).*

Succus *Cambogiæ, (Guttæ)* quem, *Gummi Guttæ* nomine communiter inſigniri in officinis, novimus, Turcis magno in uſu eſt contra febr. interm. Hujus rei certitudinem edoctus *Nobiliſſ.* PRÆSES, cum pharmaco hocce, *Diagrydii* inſtar, *Sulphurato*, experimenta inſtituit plurima, felici ſemper cum ſucceſſu, tempore, quo Medicus Claſſ. Reg. fuit ordinarius.

Sedum acre §. VII. nominatum, hoc loco ut diureticum conſiderari meretur. Succus ejusdem expreſſus, ad cochlear dimidium, bono cum ſucceſſu, contra febres intermittentes tertianas, præſertim in ſubjectis quadratis atque robuſtis, ordinari ſolet *a).*

Juniperi Baccæ & *Oleum deſtillatum*, pulchram præbent febricitantibus medelam, ſi modo ante paroxyſmum ſumantur. Pulvere baccarum toſto, ad Dr. I. cum aliquot aceti cochlearibus dato, tertianam vidit ſæpius curatam *Lange b)*, & de oleo teſtatur, quod ceteris antifebrilibus palmam præripiat univerſis, raroque fallat in tertiana, quam plerumque prima ſumtione pellit *c).* Viribus & effectu

---

2) Libr. citato. p. 122.

a) Lange Tentam. p. 119. 120.

b) Libr. cit. p. 126.

c) p. 131.

effectu cum hoc oleo, coincidit *Oleum Pini*, alias *Templinum* vocitatum, quod eodem modo iisdemque obſervatis cautelis ſumtum, interdum profuiſſe obſervavit idem Auctor *d*).

Balſamus denique *Copaibæ* genuinus nec eſt omittendus, quem, doſi exigua guttarum 5 vel 6, bis terve repetita ſub initium paroxyſmi febrilis, ſtupendas febrium harum egiſſe curationes, refert *R. P. Labat* in ſuo *Itinerario Indiæ occident.* p. 318.

§. XII.

Abſolutis ſic remediis, quæ intus ingeruntur, *Evacuantibus*, reſtat jam 6:o, breviſſimam injicere mentionem evacuationis notabilis, ope VENÆ SECTIONIS in curanda febre intermittente, a plurimis Medicis, celebratæ. Gallorum hoc eſt Medicorum plerumque vitium, ut venam omni in caſu & ægritudine tundant, ideoque, in febre intermittente hoc negligere præſidium, ſibi religioni etiam ducunt *e*). Cl. *Furſtenau* venæſectionem ita in deliciis habet, ut in omni febrium intermittentium genere illam maximis proſequatur laudibus, nulla etiam ſi adfuerint ſanguinis abundantis ſigna *f*). Febres intermittentes nullo ſæpiſſime curatum iri præſidio, maxime licet idoneo, absque iterata pluries phlebotomia, contendunt *J. de Muralto g*),

d) p. 138. Videſis *Schuſters* Medicinifchchymiſches Lexic. p. 370.

e) Cfr. *L. Heiſteri* Diſſert. de Venæ Sectionum abuſu apud Gallos. *Helmſt.* 1750.

f) Miſcell. Nat. Cur. Vol. IX. p. 378.

g) Ephemerid. Nat. Curioſ. Dec. II. An. VIII. p. 4.

Gerboz b), *Schraiber i)*. Quartanam immo, curatu alias sæpe difficillimam, repetita sanguinis missione curare ausus est *Botallus*, cruentæ hujus medicinæ cultor atque fautor facile princeps dicendus *k)*. Singularis hæcce, febres intermittentes tractandi methodus, quid boni secum ferat, omnibus facillimum, crediderim, esse judicatu. Largiori sanguinis detractionis dispensatione, plus justo diminuuntur *vires*, ad motus rite subigendos febriles, & *molimina naturæ salutaria*, sudoris critici ope quidquam *febrilis materiæ*, quovis paroxysmo, *foras ejiciendi*, sufflaminantur; (*duas enim simul stare evacuationes vix posse*, ex *principiis* constat medicis) quid, quod, plura testantur probatæ fidei documenta, ex frequenti sanguinis profusione, febres sæpe levissimas intermittentes, vel in graviores, vel in continuas, vel in exitiales denique, *degenerasse l)*. *Hinc* est, quod ejus, in *his febribus*, *usum tam enixe caveant Medici prudentiores*, ad *illum*, *non nisi* summa urgente Plethora, maxima cum circumspectione confugientes *m)*.

§. XIII.

Cl. II:a. ALTERANTIA.

Ad finem nunc perductis, quæ ad *Evacuantium* Classem spectant, remediis, pertractanda sic pariter

---

h) Ephem. Nat. Cur. Cent. V. VI. Obs. 45. p. 67.

i) Anweisung zur Erkenntniss und Cur der vornehmsten Krankheiten.

k) de curatione per sanguinis missionem.

l) *Sydenham* p. 103. 110. 114. *Madai* von den Wechselfiebern p. 166. In *Ephemerid. Nat. Curios.* Dec. III. An. III. obs. 138. p. 249. tres exstant casus tales. *Grainger* l. c. p. 80.

m) *Werlhof* de febrib. p. 74.

ter veniunt, quæ ad alterum pertinent Ordinem, medicamina ALTERANTIA.

Campus se heic offert vastissimus, omnis generis remediorum, in febricitantium salutem a multa ætate excogitatorum plenus. Hic invenies medicamenta, quæ, ut Febrifugi heroici, Corticis Peruviani, nec facile omnibus comparandi, digna fierent succedanea, mire torserunt Medicorum ingenia. Pro diverso, quem sibi finxerunt divini hujus Pharmaci, agendi modo, diversissima etiam illis explorata sunt remedia, *Amara*, *Acria*, *Austera*, *Salina*, *Nauseosa*, *Aromatica*, *Virosa*, &c. &c. quorum in sequentibus succincta erit expositio.

§. XIV.

Amara.

Primatum horum, omni jure sibi vindicat efficacissimum illud, ad omnes febres intermittentes, quod miseris concessit mortalibus Æterna Bonitas remedium, *Cortex Peruvianus*. Crambem ad fastidium usque recoctam certe apponerem, si medicaminis hujus adferrem merita indeque reportata encomia *n*). Judicium tantum meum, (quod tamen unice *Generosiss.* debeo PRÆSIDI,) de modo agendi, quo, omnibus huc usque præstat cognitis febrifugis, hocce præsidium, breviter exponam. In laudanda specifica hac corticis virtute, maxime sollicitos, nullo non tempore, fuisse novimus primi subsellii Medicos *o*). In amaritie intensiori, vim hanc quæsiverunt peculiarem *alii*, in austera & adstringente qualitate *alii*, in proportione denique partium

n) *Werlhof* in opere *de Febribus*, huic satisfecit rei. Vid. *Torti* Therap. Special. Febr. pernicios.

o) *Werlhof* libr. cit. Sect. VI. §. 1. 2.

tium conſtituentium, chemico examine eruta, *alii p)*.

Opinione vero ſe deceptos, fateri eos decet; etenim, remedia non deſunt plurima, amaritie & adſtrictoria vi, chinæ corticem longe ſuperantia, ejusdemque etiam principiis conſtitutivis maxime æmula, quæ tamen in curatione febrium intermittentium, ut eo multo inferiora, ſunt poſtponenda.

In amarore, virtutem quidem quærendam eſſe hujus corticis ſpecificam, extra omnem diſputationis aleam poſitum eſt; intenſiſſimam vero ejus amaritiem nec ſuffecturam auguror, niſi *tenaciſſima* ſimul eſſet & humores hac qualitate *inquinans*. Quorundam hæc eſt ſingularis facultas remediorum, ut corpori ingeſta, vel tingant illud ſuo *colore*, vel *odorem* ſpirare faciant iis proprium, vel *ſapore* demum afficiant ſuo. *Inquinantes* ſalutantur plantæ, ex ordine naturali xxx *Contortarum*, hunc præſtantes effectum, quarum, in *Clave* ſuo *Medicinæ* p. 27. mentionem injicit brevem *Illuſtr.* PRÆSES *q)*. Harum etiam e numero eſt *Cinchona officinalis r)*. Penetrantiſſima hæc ejus proprietas, qua globulis ſe affigit ſanguinis, fibrisque carneis noſtri corporis, non poteſt non, quin de efficaciſſima teſtetur illius, in febribus intermittentibus, virtute. Quatenus *amara*, acidum infringit in ſanguinis ſeroſa parte obvium; quatenus *inquinans* vero, multiplicativæ ejusdem vi valentiſſime it obviam.

---

p) *Th. Vogt* Exam. Succedan. Cort. Chin. *Diſſertatio* Præſide *J. H. Kniphof. Erford.* 1747.

q) De *Petiveria*, quod, ab ovibus comeſta, earum alliaceo inficiat carnes ſapore, in *Act. R. Acad. Scient. Suec.* Vol. V. p. 287. narrarur.

r) *Nobiliſſ.* PRAESIDIS Mat. Medic. p. 24.

viam. Tonicas ſimul exſerit vires, fibras roborando, ut, poris cutis ſtrictioribus factis, noxius avertatur aëris influxus *s*). Hæc de Chinæ Corticis agendi ratione, ſufficiant dixiſſe; de modo vero eum propinandi, id tantum cuique inculcandum cenſeo, a majori ejus doſi, una ſimulque prima vice, aſſumta, ne minimum quidem in periculum incidere ægrotantes, cum & hoc, tam theoriæ conſentaneum, quam experientia recentiori maxime probatum ſit *t*).

2:o *Cuſcarillæ* Cortex, prioris ut ſuccedaneum a multis habetur optimum. Corticem, immo, antecellere Peruvianum, in quartana febre curanda, pro qua, ſpecifici titulo quaſi gaudeat, verba ſunt Celebr. *Joſ. Lieutaud u*). Poſtquam *Apinus*, Medicus Herſpruccenſis, primum in febre epidemica Herſpruccenſi 1694 & 1695, virtutem hujus remedii mirificam deprehendiſſet, cum antea ſatis obſcura eſſet ejus vis febrifuga, catervatim medicos in experiundis his viribus ſequaces ſui habuit, quos nec tentandi pœnituit cupiditatis *v*).

Cortices excipit nominatos 3:o *Lignum Colubrinum*, (*Strychnos*) cautioribus tamen anceps, ob ſuſpectam qualitatem, præſidium. In decocto, (nunquam in ſubſtantia,) ad Unc. ſemis, vel in eſſentia ad Dr. ſemis, laudatur ut febrifugum a non-

---

s) Cfr. diſſertationis noſtræ §. V.

t) Eadem etiam eſt mens Cl. *Senac* in libr. *de Recond. Febr. interm. nat.* C. II. p. 141. 142.

u) Synopſ. univerſ. Prax. Medic. P. I. p. 46. P. II. p. 557.

v) Commerc. Noribergenſ. p. Ann. 1736. Fallere vero hunc Corticem, pluries expertus fuit *Ill. Præſes.*

nonnullis *w)*, at non ſemper ſine noxa *x)*. Recentiori inclaruit ætate 4:o, *Lignum Quaſſiæ* adverſus febres intermittentes. A radice deſumitur efficaciſſimum, cujus ſcobis Dr. I. aquæ infundatur ferventis libræ unæ per ſpatium horæ, ſitque hujus infuſi pro doſi Uncia *y)*.

Diſſimili nec modo, eademque ac lignum Colubrinum doſi, in quartana præcipue, uſitatur 5:o *Lignum Serpentinum (Ophioxylon Serpentinum z)*.

Sequuntur Radices & Herbæ amaræ.

6:o *Gentianæ Rubræ* Radix, in pulvere quantitate Dr. I. vel in decocto vinoſo propinari ſolet. Extractum ejusdem, in aqua vel vino ſolutum, elixirii forma datum, pluris tamen æſtimatur. Eſſentiæ hujus & Caſcarillæ, portione anatica commixtæ, quatuor ante paroxyſmum horis, aſſumtæ guttæ 40, vel 50, laudantur *a)*. Solam radicem, vel tantillo Nucis Vomicæ junctam, olim tam certum, ut nihil ſupra, medicamentum præſtitiſſe, longeque Chinæ cortice efficacius, adſtruit *D. Ludovici b)*. Radicis cum cortice Peruviano commixtionis formulas apud *Hermannum* reperias *c)*.

7:o *Gentianellæ* Herba (Gentiana Amarella) parumper præcedenti debilior, tertianæ occurrit in Cereviſia tenuiori decocta & epota *d)*.

8:o

---

w) *Bontii* Hiſt. nat. & Medic. Ind. Or. Auſtr. p. 74. *Hermanni* Cynoſura Mat. med. p. 235.

x) *Heide* Centur. Obſ. 7.

y) *Generoſ.* PRAESIDIS Amœnit. Acad. T. VI. p. 427.

z) Ejusdem *Nobiliſſ. Viri* Mat. Med. p. 168.

a) Act. Berol. Vol. 4. Dec. II. p. 83.

b) Pharmacia p. 13. 201. Adverſatur vero *Senac*, de *rec. febr. nat.* p. 185.

c) Cynoſ. Mat. Med. p. 95. 96.

d) *Nobiliſſ.* PRAESIDIS Mat. Med. p. 37.

8:o *Centaurium Minus* (Gentiana Centaurium) eodem, ac Gentianæ rubræ radix, modo uſurpatur, febremque ad curandam, cortici æmula Peruviano, a *Bœrhaavio* habetur *e)*.

9:o *Carduus Benedictus* (Centaurea Benedicta) olim celebratiſſimus, virtute etiam gaudere dicitur febrifuga, ſi ejus propinetur decoctum vel ſuccus expreſſus, ad uncias aliquot *f)*.

10:o *Artemiſiæ* quatuor *g)* in officinis receptæ Species, egregie ſe gerunt omnes in febribus criticis. Receptiſſimus tamen eſt uſus *Abſinthii vulgaris*, ſaporis ceteris amarioris. Succus ejusdem expreſſus, vel ſummitates virides in infuſo aut pulvere, & oleum denique deſtillatum ad tres vel quatuor guttas, indiſcriminatim, febre correptis, laudabili cum ſucceſſu, exhibentur *h)*. Sale, ex eodem per incinerationem parato alcalino, a reliquis hujus proſapiæ haud diſcrepante, plures ſe fatetur curaſſe febres intermittentes *Grainger*, in ſubjectis, corticem chinæ quocunque licet modo ſucatum, non ferentibus *i)*.

11:o

---

e) *Hiſtor. Plantar.* p. 302. Lapillum huic elogio etiam adjicit *Lieutaud* Synopſ. Med. P. II. p. 556. *Senac* tamen, inde febrilem æſtum excitari ſummum, contendit, *L. de Rec. febr. nat.* p. 184.

f) *Lieutaud* Prax. Medic. P. II. p. 578. Cfr. *G. Chriſt. Petri* de Card. Benedict. Commentar. Jenæ 1669.

g) *Illuſtr.* PRAESIDIS Mat. Medic. ſub N:ris 384, 385, 386 & 387.

h) *Lange* Tentam. de remed. Brunavic. p. 109, 110. Ad recidivas avertendas plus adferre utilitatis, quam ad curationem primariæ febris, hocce decoctum, experientia docet.

i) Hiſtor. Febr. anomal. C. X. p. 137.

11:o Binæ *Teucrii* ſpecies, *Chamædrys* & *Chamæpitys*, inter febrifuga etiam locum obtinuerunt, nec ultimum. *Illam* efficaciorem aliquando ipſo cortice expertus eſt *Chomel k)*; *hanc* vero, in decocto, frequentiſſimi eſſe uſus Mauris, refert *Thom. Shaw l)*.

12:o *Trifolium Fibrinum* ſ. *aquaticum* (Menyanthes trifoliata) amariſſimæ qualitatis herba, in uſum quoque trahitur remediorum huc ſpectantium. Proficuus inprimis ſalutatur adverſus quartanam rebellem, uſui chinæ corticis non obſecundantem, ejus ſuccus *m)*.

13:o *Scabioſa*, tum noſtra *Arvenſis*, tum *Africana* potiſſimum, febribus etiam dicatur intermittentibus. In decocto, hac poſteriori utuntur Algirenſes Africæ incolæ, teſte *Th. Shaw n)*.

14:o *Calcitrapæ* radicis cortex, ad drachmam infuſus, in Gallia habetur pro certo febrifugo a *Tournefort*. Flores intenſe amaricantes ejusdem ſunt cenſus, & in ſubſtantia ex vino, pluries de die, corticis inſtar Peruviani, dantur a ſemidrachma ad drachmam unam. Succus herbæ, minore licet amaritie præditæ, ab unciis duabus ad ſex propinatus, eandem obtinere videtur virtutem *o)*.

15:o

---

k) Abregé de l'Hiſtoire des plantes uſuelles, p. 462. *Riverii* Centur. 4. obſ. 54.

l) Travels and Obſervations relating to ſeveral parts of Barbary and the Levant. p. 264.

m) *Löſeke* Mat. Medic. p. 201. & *Franci* Hiſt. Trifol. fibrini.

n) Philoſophical Transact. N. 411. e voto etiam ſucceſſiſſe ſibi quædam, cum hoc remedio, inſtituta experimenta, retulit *Nobiliſſ.* PRAESES.

o) *Lieutaud* p. 707.

15:o *Momrda Fiſtuloſa*, teſte Celeberr. D. Profeſſ. *Kalm*, ſeptentrionalis Americæ gentibus, in febribus intermittentibus, magni eſt uſus *p)*.

Pervenio jam 16:o ad *Flores*, multa laude inde a Galeni & Aëtii temporibus *q)*, celebratos; *Chamomillæ*, loquor, *utriusque*, tum *Romanæ*, tum inprimis *Noſtratis*, flores. *Morton* & *Pitcarn* inter primos fuere, qui horum in febre intermittente maxime extulerunt uſum, multorumque dein medicorum experimenta, laudi ejus cumulum addiderunt. Methodus his utendi floribus varia eſt. Dantur vel in pulvere ſoli ad ſcrupulum & ultra, vel aliis ſociati remediis, prout Clariſſimo placuit *Meadio r)*. Succum etiam ipſius plantæ, ad tria vel quatuor cochlearia, ad omnes febres intermittentes, paullo ante acceſſionem datum, commendat *J. Rajus*, eoque aſſeverat vel ſtatim cohiberi paroxyſmum, vel non multo poſt aſſumtum medicamentum.

17:o Nominatis quamvis floribus, virtute multo inferiores ſint *Tanaceti* flores, eodem tamen modo uſurpantur in iisdem febribus.

Reſtat ut de nonnullis agam fructibus amaris, in febre decantatis intermittente.

18:o *Faba S:ti Ignatii*, arboris cujusdam eſt fructus ignotæ *), forte ex genere *Strychnos* venenato, quod ſuſpicatur *Generoſiſſ.* PRÆSES. Recentiores Medici, cum venenatiſſimis inſtituentes plantis

p) in Itinere Americano.

q) *Galen.* de Simpl. med. fac. L. III. C. 10.

r) Monita & Præcepta Medica p. 23.

*) Vid. Vol. VIII. p. 192. *Add. Edit.*

plantis experimenta medica, toxicum etiam hunc explorarunt fructum, eumque, in febribus intermittentibus, laudabilem præbere usum, invenerunt. Tincturam cum vino Gallico paratam, a minori incipientes dosi gutt. nempe 10 ad 12 vel ultra, quousque ægrotantes tulerint, propinarunt non sine successu *s)*. Nec tamen omni ætati vel corporis constitutioni, hoc congruere, periculi non expers, medicamentum, simul notarunt.

Cum nuper dicto fructu, vi & qualitate convenit 19:o *Nux*, ut vocatur, *Vomica*. Hanc ad genus pertinere Strychnos, certissime constat, interque summa locum tenere venena. Adversus febres nominatas vero deprædicatur usus ejus cautissimus *t)*. Cum infido tamen hoc remedio nec esse ludendum, suadet triste illud exemplum Matronæ cujusdam, in hac urbe honestioris, quæ, hoc medicamine incautius usa, diem obiit supremum.

Coronidis loco tandem adferre lubet 20, *Liliorum Convallium Baccas* etiam dici proficuas in febribus sæpe commemoratis, Auctore *Senckenberg u)*.

§. XV.

Styptica.

Amara subsequuntur remedia, quæ sapore gaudent austero adstringente, vimque exercent stypticam. In hac enim, quæ cortici Chinæ etiam inest levis, proprietate, quosdam specificæ ejus virtutis caussam

s) Act. Berol. Vol. II. Dec. I. p. 34.

t) *Ludovici* Pharmac. modern. secul. accommod. *Valentini* Polychr. Exot. & Museum Museor.

u) *Dissertat.* de Lil. Convall. ejusque baccar. virtutibus, P. 32.

cauſſam quæſiviſſe, antea diximus. En itaque præcipua hujus cenſus remedia, a Medicis in febrium intermittentium curatione, commendata.

I. *Radix Caryophyllatæ*, (Gei rivalis,) uſu primum innotuit efficaci, apud Americanos Septentrionales, qui, ea detecta, parum de Chinæ cortice poſtea fuerunt ſolliciti. Experimenta ubique inſtituerunt cum hac radice Medici, ſed omnibus haud ex voto ſucceſſerunt. Quæ in patria fecit *Celeberr. Profeſſor P. J. BERGIUS v)*, dubias ſat reddunt medicaminis hujus in febre intermittente virtutes.

II. *Cortex Hippocaſtani* (Aeſculi Hippocaſtani,) a *Zannichellio*, Pharmacopœo Veneto, pro ſuccedaneo corticis Peruviani omnibus numeris abſoluto, primum venditus & laudatus fuit *w)*. Eum vero hoc modo adhibuit, ut duæ Drachmæ, aquæ Cardui benedicti Unciis quatuor infuſæ, finito infultu epotarentur, idque ter repeteretur. Dein *D. Moehring x)*, ejusdem methodi fecit in diverſis hominibus periculum virium, probatumque ſemper deprehendit contra febrem medicamentum.

III. *Cortex Acaciæ Noſtratis* (Pruni ſpinoſæ,) optimus radici detrahitur arboris ſuæ. Hunc impenſe deprædicant *Nebelius y)* & *Sloane z)* in febre intermittente. Adhibito prius incaſſum cortice

v) Cfr. Act. Reg. Acad. Scient. Suec. Vol. XVIII. p. 118. Ann. 1757.

w) Epiſtola ad Guil. Pontedera de *Facultat. Hippocaſtani*; Venet. 1733. idiomate Italico.

x) Ephemer. Nat. Curioſ. Vol. V. Aliter tamen ſentit in *Commerc Noriberg.* 1736. p. 20.

y) Act. Nat. Cur. Vol. V. obſ. 116.

z) Epiſtola ad *Raj.*

Peruviano, quendam hac febre laborantem, decocto hujus largius hausto, pristinæ reddidit valetudini *Nebelius*. Decocti etiam hujus usum adhuc commendat *Buchoz a)*.

IV. *Cortex Fraxini* (excelsioris,) amarus, Chinæ substituitur cortici ab *Hellwig b)*, & *Bergio c)*, sed perperam; cum multis parallangis ab invicem differre corticum horum vires febrifugas, tam dictet experientia, quam probatissimorum Medicorum confirment effata *d)*.

V. *Cortex Alni* (Populi Alni) *e)*; *Cerasi* medianus *f)* atque *Salicis* (albæ) intermedius *g)*, nec non *Quercus* (roboris), indiscriminatim proficere a suis fautoribus censentur. Huc etiam referas *Corticem Mangles h)* (Rhizophoræ); quum vero tanti non sint usus, ut multam mereantur commendationem, eos saltem nominasse sat duxi.

VI. *Verbenæ* Extractum ad Dr. I. bis de die sumtum, febrifugi nomine laudat *Chomel i)*.

VII. *Pentaphylli Herba* (Potentilla repens) inde ab Hippocratis ævo febrifuga audit *k)*, sed in desuetudinem jam fere abiit mere adstringens.

VIII.

---

a) Médecine végétale 1770. p. 160.

b) *Dissertat.* de Quinquina Europæor. *Gryphisv.* 1712.

c) Göttingische Anzeigen 1757. p. 829.

d) *Nobiliss.* PRAESID. Amœnit. Acad. T. I. p. 17. *Geoffroi* Mat. Medic. Sect. II. T. V. p. m. 363. *Lieutaud* Prax. Med. P. II. p. 868.

e) *Fabregou* Abrégé des plantes autour de Paris.

f) *Const. Rebecques* Præf. ad Atr. Medicin. Helvet.

g) *Buchoz*. l. c. p. 283. 375.

h) Gött. Anzeig. 1753. N. 143.

i) Abrégé de l'histoire des plantes usuelles.

k) Libr. 2. de morbis C. 13. Chart. T. VII. p. 565.

VIII. Fructus *Myriſticæ*, ſive *Nux Moſchata* ut communiſſime vocitatur, interdum aut ſola, & quidem pro ratione ætatis ægroti, vel integra, vel dimidia, aut Alumini ſociata, febricitantibus exhibetur *l)*.

IX. *Cupreſſi Nuces* pariter commendantur a *Lanzono m)*, in ſubſtantia a ſemi drachma ad Dr. I. vel ad duplum in decocto datæ, uſu, quarta quavis hora, iterato.

X. *Gallæ*, tubercula Quercus foliis a parte inferiori adnata, omnibus ſunt notiſſima. Nec fugere quemquam crediderim, earum etiam in febre intermittente commendari uſum. A *D. Reneaume* incepit earum in hoc febrium genere laus *n)*. Præmiſſis generalioribus, gallarum dari jubet Dr. β. usque ad Dr. I. ſub forma pulveris vel boli, in initio paroxyſmi; poſt paroxyſmum vero, ſingulis quatuor horis. Febribus, tamen fatetur, non niſi illis conducere hanc medicinam, quæ a nimis relaxato ventriculi tono proficiſcuntur. Noſtra ætate potiſſimum, circumforaneis & agyrtis arridet hæc, per Gallas medendi, adſtrictoria methodus.

Perluſtratis, quæ ex regno deſumuntur vegetabili, adſtringentibus febrifugis, pedem ad regnum minerale promovere etiam expedit, quum illinc quoque depromi ſoleant nonnulla, febribus intermittentibus dicata præſidia, ſtyptica virtute prædita inſigniori.

l) *Lange* Tentam. p. 134. 135.

m) Ephemer. Natur. Curioſ.

n) Mémoires de l'Académie des Scientes de Paris. Ann. 1711.

Inter leniora veniunt in conſpectum, quæ, ex *Ferro* nomen ſortita ſunt MARTIALIUM. In ſubſtantia, ut dici ſuevit, in pulvere ſubtiliſſimo hæc propinata remedia, in febre intermittente curanda, nondum quidem, ut ſcio, obtinuerunt uſum omnibus communem *o)*; *Aquarum* vero *Martialium*, ferreis ſcatentium particulis, in pertinaciori & inveterata febre, merita non eſt detrahenda laus. Hinc evenit non raro, ut acidulas petant ægroti cum febre adhuc conflictantes, nec ope exoptata deſtituti, illinc diſcedant. Nobis ſuppeditant hujusmodi exemplum oppido memorabile, noſtræ in patria acidulæ martiales, in REGE, *Glorioſiſſimæ memoriæ*, Clementiſſimo noſtro FRIDERICO I:MO, qui, *aquis* ter uſus *Viksbergenſibus*, a febre pertinaciſſima intermittente prorſus liber evaſit anno 1722. Modus autem aquis utendi mineralibus ad febres intermittentes, is eſt, ut, ante quam in uſum trahantur, easdem caleſieri ſinat ægrotus, tepidasque ſic hauriat, more ad acidulas ſolito. Ipſo etiam paroxyſmi die nec diſſuadendus erit earum uſus, methodus tantummodo ſi obſervetur præſcripta; tuncque per ſudorem, non per urinam, earum e corpore fit ſecretio. Qui febre intermittente nuper liber factus, aquas ingurgitat frigidas, ſua interdum iterum corripitur febre, quæ tamen, continuato aquarum tepido uſu, brevi faceſſit. *Pyrmontanæ* aquæ, noſtris ſunt in medendis hisce febribus præſtantiores, etenim, principium illis non ineſt ſpirituoſum tam ſubtile & moræ impatiens, quin leviter caleſcere patiantur igne, citra notabilem virium jacturam, quod tamen, non

---

o) *Limatura tamen Martis* quendam a febre liberavit *Tiſſot*, corticis abnuentem uſum. Vid. *Ejus Avis au peuple* &c. p. 240. §. 248.

non fine majori virtutis diſperditione, noſtræ ferrent aquæ minerales.

Cum jam de aquis ſermo ſit mineralibus, pauca etiam, de *Aqua ſimplici frigida*, pro remedio in febre intermittente eximio a nonnullis venditata, heic differere, incongruum non fore, putaverim. *Lancifii* fuit dudum, in febre curanda intermittente, optimum Summo Pontifici datum conſilium, ut febricitantes, etiam egentiores, per æſtatem atque autumnum, ad potum cum vino adhiberent nivem, quo appetitus erigeretur proſtratus *p*); aquam etiam commendant frigidam, *Hippocrates*, *Galenus*, veterumque plures. Experientia tam horum priſcæ medicinæ luminum, quam *q*) propriis obſervationibus permoti recentioris ævi medici, tenuiſſimam hanc medicinam ſuis ſuadent nonnulli ægrotantibus. Huc pertinent inprimis *Nicol. Creſſenzo* Italus *r*), & *Cl. Lieutaud s*). Uſum, *ille*, aquæ nivatæ, ex Hiſpania receptum, indeque ab *Anton. Magliari* adhibitum, ad omnes vehementer laudat in univerſum febres, additis tamen cautelis, quod in paroxyſmi incremento propinari debeat aqua, quo copioſius eo melius, obſervataque diæta valde parca. *Hic*, (ſcilicet *Lieutaud*,) aquam ita deperit frigidam, ut eandem Chinæ cortice multis præſtare paraſangis, in tertiana præſertim febre curanda, exiſtimet. Uſum vero ejusdem ſuadet per tres quatuorve dies pro omni adhiberi potu,

p) de noxiis palud. effluv. L. 2. p. 206.

q) *Clegborn* C. 3. p. 174.

r) de nova Medicina aquea, cum methodo ea utendi. *Italice*. Neap. 1727. 4:o.

s) Synopſ. univ. Prax. Med. P. I. p. 37. 44. In *Act. Berol.* Vol. VII. D. I. p. 47. 48. memorabiles etiam adferuntur nonnulli, aquæ frigidæ vitium, effectus.

quo, non tantum tuto & cito ipsa feliciſſime debelletur febris, verum etiam ne minimum reditus periculum incurrant, qui hoc curatum iverint aquæ beneficio. Quid, quod, eorum dolet experientiam inconſultam, quibus nec arrideat hoc vulgatiſſimum nulliusque pretii remedium, quique nec citra periculum illud per plures dies poſſe uſurpari ſentiant, cum tamen pluries ipſi contigerit obſervaſſe, ſimpliciſſimum hocce præſidium, febres non tantum leviores, verum aliis remediis domari neſcias. *incantamenti inſtar* profligaſſe *t)*. Dolendum cum hoc Auctore Cl. pariter opinor, cum viliſſimo omnibusque maxime obvio medicamine, (ſi vocanda ſic erit aqua ſimplex,) ulteriora haud inſtituta fuiſſe experimenta, quibus, egregia hæc & celebrata ejus vis, adhuc vel confirmetur magis, vel plane improbetur. Quid enim optatius, ſalutique ægrotantium utilius, ſimpliciſſima hacce & nullo negotio cuicunque comparanda medicina, unquam excogitari poſſet mortalibus in febre intermittente, ſolatium? Sed de aqua jam hæc ſufficiant. De Martialibus tamen antequam finis erit dicendis imponendus, pauciſſimis tangere decet verbis, Chemicum illud, ex *Marte* & *Aurati Sulphuris Antimonii* tantillo conflatum corpus, quod ſub nomine venit notiſſimo *Croci Martis Antimoniati Stahlii u)*. Remedium hoc ab Auctoris ſui aſſeclis impenſe laudatur, ut in febribus intermittentibus ſumme proficuum & Chinæ cortice longe ſecurius

---

t) Cfr. *Senac* de recond. febr. nat. p. 164. aquam calidam etiam mire extollit, utendique methodum tradit p. 177. atque *Thermalium Aquarum* efficaciam adverſus Quartanam, laudat p. 228.

u) Compoſitionis modum invenire licet in *Chimie Medicinale* de *Malouin* T. II. p. 79.

ſecurius *v*). A minori doſi, granis 4 vel 5, ad ſcrupulos usque duos, circa quartum febris paroxyſmum, propinari tuto poſſe perhibent *w*). Diebus ceteris a febre liberis, *Ferrum* vel exhibent in *crocum ſimplicem* mutatum, vel etiam pilulas Stahlii balſamicas *x*).

Adſtringentium denique remediorum agmen claudat merito ex minerali regno *Alumen*. Adſtrictoria, forte omnium maxima, qualitate pollet hoc Sal; in uſum nihilo minus contra febres intermittentes a quibusdam trahitur. Solum rariſſime adhibetur, niſi cum ſpiritu vini, vel cereviſia calefacta ſit ſumendum *y*). Receptiſſimus vero eſt ejus cum nuce Moſchata uſus, eo nempe modo, ut anatica parte miſceantur optime, indeque bini dentur ante inſultum Scrupuli *z*). Plebejis hoc arriſiſſe medicamen, non miror, quibus nil intereſt quomodo curentur; ab emunctioris vero naris hominibus, immo Medicis, in medelam efflagitari uſum ipſius internum, vere noxium, miratu adhuc magis dignum reor; quid, quod, omnem extra fidem videtur, ſalinum hocce remedium cortici longe anteferri Peruviano, a *J. Furſtenau a*).

In probando autem certiſſimo damno, quod pharmaco hocce manet utentes, e longinquo nobis

v) *Junckeri* Conſpect. Med. Theor. Tab. 79. p. 652. & Tab. 80. p. 660.

w) *Buchwald* Prodr. Act. Hafn. & Ejusd. Diſſert. de Quartanæ curat. Reſp. *R. St. Henrici* p. 28. 29.

x) loc. citatis. Huc etiam referas *Flores Salis Ammoniaci Martiales*, ad gr. iij, ter de Nycthemero, inter præſtantiora habitos quibusdam remedia.

y) *Lange* Tentam. p. 198.

z) *Malouin* Chimie Medicinale T. II. p. 480.

a) in *Diſſert.* de Alumine, Rinteln. 1748.

haud opus erit argumentis petendis. In Nosodochio Upsaliensi Academico, casus sese obtulit ejusmodi lugendus, viri cujusdam, qui, a seri aluminosi usu, dira tam vexatus fuit alvi obstipatione, ut non nisi clysmatum beneficio eam reserare valuerit, quo tamen facto, mox pristina rediit obstipatio. Moritur tandem æger, inque dissecto cadavere intestina crassa, mirandum dictu! distenta tam fuerunt ultra modum, atque gracilia qua texturam, ut pellucida fere eadem dixeris. Aluminis itaque internum iis relinquimus usum, qui, *volentes decipi*, dum *fallunt*, tandem & *fallentur* ipsi.

De usu remediorum in febre intermittente adstringentium, generaliter id tenendum censeo, quod plus adferant damni quam salutis, quidquid obganniant suis pertinaciter inhærentes opinionibus. Præposteræ enim febris adstringentibus sufflaminationi, œdematosi, maximam qua partem, corporis tumores, suorum debent originem. Post febrem, idoneis rite curatam remediis, majorem potius exserere virtutem hæc præsidia putarem, quippe quæ, caute tamen usurpata, tonum addendo partibus debilitatis, ut per poros cutis flaccidæ apertos, aër vetetur insinuari noxius, omni non carerent utilitate. Saltem non tam absonam hanc esse, de adstringentium emolumento conjecturam, suadent *pinguium* omnis generis, in febre intermittente, noxæ, quorum usu non intercepto, difficillime se remediis tolli finit febris, licet optimis, atque recidivæ immunes nunquam fiunt ægroti; in promtu etiam ratio est, etenim, vim exercent pinguis relaxantem, adstringenti e diametro oppositam, cujus effectus ex dictis in §. V:a satis constat.

§. XVI.

§. XVI.

Acria.

In ſcenam iterum prodeunt *Acria*, quorum in §. XI. mentionem feci antea. Id tantum dicrimi-nis intercedit, quod, quum loco citato, inter re-media, quæ ad Evacuantium Claſſem ſpectant, Diu-retica, eadem retulerim, hac occaſione, reſpectu ad eorundem *Corrodentem* & *Septicam* virtutem ha-bito, *Alterantibus* hæcce ipſa jam adnumerem. E regno animali deſumi, inque uſum adverſus febres intermittentes trahi *Stercora* (ſit venia verbis) quorundam animalium, neminem, ne maxime ru-dem & inexpertem, fugere reor. Hujus ſunt cen-ſus *Suillum*, *Murinum* atque *Caninum Stercus*, quo-rum ultima bina, tecto latent ſub nomine in offi-cinis *Nigri* & *Albi Græci*. Tanta gaudet vi ſepti-ca & corrodente Album illud Græcum, ut acrius quidquam eodem ſit inventu fere difficillimum; etenim, cauſtico plane agit modo in corpus quod-cunque obvium, acidi inſtar mineralis. Cautiſſi-mum itaque ejus internum fore uſum, per ſe pa-tet. A ſemi-Drachma ad Drachmam unam, aliis ſociatum remediis, e. gr. Cort. Chinæ, ſummita-tibus Abſinthii, &c. &c. adjecto Cinnamomi cor-ticis tantillo, ante paroxyſmum propinari ſolet, cum ſucceſſu perſæpe vere proſpero. Pauperibus tamen atque plebejis hoc tantum commendes re-medium, ne te tuamque artem ludibrio exponas, ſi honeſtioribus atque ditioribus, quibus nil arri-det, quod carum non ſit & pretioſum, tale præ-ſcripſeris medicamen.

Vegetabile regnum acerrima quædam nobis ſubminiſtrat medicamenta ſimplicia, quorum inter-nus uſus, a prudentioribus ſemper damnatur. Ejus-modi ſunt *Coccognidii baccæ*, quas contra febres in-

termit-

termittentes, pernicioſe devorat plebs inſulſa. Externus autem talium remediorum ſecurior eſt uſus, dum, uti etjam mos eſt, corporis cuidam parti admoventur, ut irritationem excitent. Hunc præſtat effectum *Ranunculus*, *Perſicaria*, *Euphorbia*, *Plantæ Antiſcorbuticæ* atque *Bulbi alliacei*, &c. &c. *b*)

Es his parari ſolent, quæ dicuntur Epiſpaſtica & Sinapiſmi, inque febribus intermittentibus a quibusdam uſitantur, carpis manuum atque temporibus admota. Quid vero utilitatis hæc ſecum adferant præſidia, ad febrem tollendam, certo non liquet, cum cauſſam ipſius morbi haud aggredi videantur.

Inter *Septica*, quæ minerale ſuppeditat regnum primaria, omni jure me relaturum fore crediderim, venenatiſſimum illud corpus Salino Metallicum, quod *Arſenicum* vocant. Effectum enim in corpore animali edit ſumme corrodentem atque horrendum, ipſoque Mercurio Sublimato vehementiorem, adeo ut internecioni tantum ſubdolæ animalium nobis infeſtorum, illius inſerviat uſus. Pharmacum, tali nocentiſſima vi præditum, in ſalutem adhiberi hominum, quis crederet unquam? In febre tamen intermittente, ab agyrtis & circumforaneis, vitam hominum parvi habentibus, diu ſatis ejus uſum temerarium novimus fuiſſe commendatum. Pulveris Arſenicalis compoſitionem, contra febres intermittentes, a Chirurgis Caſtrenſibus uſitatam, tradit in *Actis Berolinenſibus*, *Goblius c*), & apud Cl. *Werlhof d*) plures invenire licet Auctores, qui alienam tantum adferunt de Arſenici uſu experientiam.

---

b) Cfr. *Lange* Tentam. Med. phyſic. p. 63.

c) Dec. I. Vol. III. p. 92.

d) de Febribus p. 41. not. *a*)

tiam. Tandem & Medici hujus veneni exploraruntefficaciam. *Mich. Friccius*, Medicus Ulmenſis, primus febrifugum Arſenici uſum celebravit, propriis experimentis *e)*. In deſuetudinem tamen fere jam abierat hoc toxicum, (utinam ſemper abeat!) quum ante decem, & quod excurrit, annorum tempus, *D. Jacobi*, Medicus Weimarienſis, in *Actis Moguntinis*, id denuo multa extolleret laude *f)*. In uſum revocari jubet Arſenicum juxta hanc formulam:

Rc. Arſenici albi *part. j.*
Salis Tartari *p.* xij.
Coquantur in Aquæ font. *p.* CLXVIII. ad quantitatem dimidiam. Huic iterum affundatur tantum Aquæ, quantum coctione ſit abſumptum, adque conſervationem addatur Spiritus Vini pauxillum.

Doſis ſit hujus remedii, pro adulto homine gutt. 30, infantibus vero, a guttis *6* ad *16* usque, ter de die. In minutiſſimas quamvis partes diviſum hac methodo videatur Arſenicum, de virtute tamen ſua venenata nil fere amiſiſſe hac præparatione, valde eſt probabile. Hoc ſaltem docent experimenta bina, quæ in Noſodochio *Viennenſi*, ad methodum a *Jacobi* præſcriptam, exactiſſime cœpit Archiater *Störck g)*. Fuerunt nempe duo febricitantes, decocto Arſenicali uſi, quorum *alter* a febre quidem liber evaſit, ſed poſtea ardorem perſentiit in pectore ſummum, cum macie corporis & Alopecia, demumque febre Hectica correptus; *alter* qua partem tantummodo priſtinam recuperavit ſanitatem; etenim, interdum cum exiguis

e) de virtute venenorum medica 1702.
f) Tom. I. p. 216. Ann. 1757.
g) Trienn. Medic. p. 56.

guis paroxysmis febris rediit, & ardor in pectore cum tussicula molesta, ægrotum diu vexavit. His etjam addere possum casum Studiosi cujusdam hic Upsaliæ, qui, in tertiana vernali mixtura quadam usus fuit Arsenicali, indeque in Asthma cum tussi, febre profligata, incurrit, Phthisique tandem pulmonali mediam sub æstatem consumtus, moritur. Hæc omnia luculentissime probant, vim Arsenico, quocunque demum modo præparato, inesse deleteriam, ut citra piaculum nec adhiberi interne possit. Mirari tamen convenit, Arsenici albi usum, a *Georg. Heuermann b)* in *Holsatia* & *Hafniæ*, receptissimum dici, ne ullo quidem cum infausto eventu, Auctori sit fides; pharmaco tamen nunquam non infido, diffisus sum semper; quumque securioribus nos ditet natura benigna remediis, iis est utendum, insecura in illud tempus differendo, quo lege careat necessitas, *satiusque sit anceps experiri remedium, quam nullum.*

§. XVII.

Tetra.

Hoc dignoscuntur odorum genera, præcipua, quæ dolores & spasmos tollere valent remedia, ideo dicta *Antispasmodica* & *Anodyna. Virosa*, easdem cum tetris in modica dosi plerumque exserunt vires, etsi in administratione eorum, cautiores tamen nos gerere oporteat. Missis horum medicaminum speciali operandi modo atque virtutibus, in morbosa systematis nervosi affectione quacunque; id tantum mihi hoc loco erit negotii, ut, quid contra febres intermittentes, ipsorum valuerit usus, longa

b) Bemerkungen und Untersuchungen der ausübenden Arzneywissenschaft; *Copenhagen* T. I. p. 29. 1765.

longa annorum ſerie a Medicis receptus, breviter jam oſtendam.

Ignoto fere *Opio*, vel ſaltem ante ſolemnem illius uſum, Hippocratis olim ævo, Narcotica tamen alia, utpote *Hyoſcyamus* & *Mandragora*, in his febribus fuere commendata *i)*. Præclaris vero poſtea virtutibus *Opii* in dies melius perſpectis, ad pharmacum hocce ſolum, catervatim fere, confugerunt Medici, *Græci*, *Arabes*, *Romani*, *plures*. Salutarem etjam id præſtitiſſe effectum, teſtantur Auctorum elogia, quæ huc attexere, eo minus erit neceſſarium, quo melius nobis in hac re otium fecerit Celeb. *Tralles* *k)*.

Temperare tamen mihi non poſſum, quin id ſaltem nominem Opii encomium, quod recentiori ætate reportavit in febre intermittente. In Gallia nempe, ante quindecim, & quod excurrit, annos, cum Opio inſtituit experimenta D. *Berryat*, ad haſce profligandas febres. Fuit ex ea opinione, quod Opium, omnium optime febriles coërceret motus ſpaſticos, atque e diametro prorſus in cauſſam ageret febris proximam, quam in affectu latitare credidit nervorum ſpaſmodico. Methodus ejusdem in adminiſtratione Opii, ea fuit, ut ante paroxyſmum *Laudanum* dederit *liquidum Sydenhami*, in infuſo *Centaur. min.* eo potiſſimum tempore, quo, nec vis anodyna ante inſultum nimis cito diſperderetur, nec poſt incœptum dudum paroxyſmum, effectum nimis ſero ederet. Hora circiter una ante febris acceſſionem, remedium hocce optime dari fuit expertus. Ratione ad vehementiam

i) *Hippocrates* in Libr. II. de Morb. §. 39.

k) Uſus Opii ſalubr. & nox. Sect. II. Cap. II. p. 57. 58.

tiam paroxyſmorum & ætatem ægrotantium habita, doſin ſemper variam propinare, ei fuit neceſſum. Infantibus, ætatis tenerioris annorum 3 ad 5, ſex tantum Laudani guttas exhibuit, adultis e contrario, a viginti ad triginta usque, innocue aſſumendas eſſe ſuadet. Methodo hac rite obſervata, raro admodum opus eſſe illius repetitione profitetur, etſi tamen interdum, quo ſecurior eſſet curatio, eandem cortice peregerit Peruviano *l)*. Laudani liquidi virium periculum, etiam in nonnullis fecit Archiater *Störk*; experimenta vero omnem fere huic medicamini fidem derogarunt. Duos quidem febricitantes, illius ope, a febre tandem fuiſſe liberos, teſtatur; languidos vero eosdem poſtea, ſtupidosque longo tempore, cum anorexia & ſumma debilitate, frequentem cardiacorum & roborantinm remediorum efflagitante uſum, ſimul exponit; quid, quod, reliquos omnes perhibet multo gravius fuiſſe, ab opiati uſu, febre afflictos, immo alvo obſtipatos, atque ebrioſorum ad inſtar, mente quaſi turbatos *m)*.

Famoſior etiam eſt, in Germania inprimis, compoſitio Opio conſtans, nomine *Maſſæ pilularum Wildeganſii n)* celebrata, quam quod, ſicco, ut ajunt, pede, eandem nunc tranſire queam. Hæc pilularum maſſa vario propinari ſuevit modo, vel in pulverem redacta, cum Sale Ammoniaco, vel cum extracto quodam amaro, forma pilulari, ad 5, 6 pilulas pro doſi, ante paroxyſmum tamen ſemper hora proxima, quo facto, æger calidum quodcunque

---

l) Mémoires de Mathem. & de Phyſ. de Paris. T. II. 1755. p. 24.

m) Trienn. Medic. Ann. 2. 1758. p. 55.

n) Formul. vide in *Diſpenſator. Brandenburg.*

cunque ſuperbibit infuſum, ut lenis ſudor prorumpat. Pari ratione quoque, contra febres intermittentes adhibentur *Pilulæ*, ſic dictæ, *Sedativæ Schulzii o)*.

§. XVIII.

Reſtat nunc, ut coronidis loco mentionem inferam methodi, a reliquis ſumme diſcrepantis, qua, hoc morborum genus curatum etiam iri, ſibi perſuadent nonnulli. *Abſtinentiam*, loquor, ab omni alimentorum genere, per plures dies exactiſſimam, quam, reluctante licet ſtomacho, tolerant tamen perſeverant miſeri ægrotantes, futuræ curationis ſuaviſſima ſpe unice permoti. Veterum dudum opinioni, innititur methodus hæcce vere ſingularis; etenim, ſuis ægrotis olim *Celſus*, omnem fere diſſuaſit per plures dies, cibum, non niſi aquam calidam illis concedens, ſimulque mentionem facit *Heraclidis Tarentini*, qui, in quartana primum alvum ducendam, deinde in ſeptimum diem abſtinendum, commendavit. Sub ipſis paroxyſmis hanc a cibo abſtinentiam ſumme fore proficuam, quisque facile videt; utilitate etiam non carere omni, modicam & brevem inediam inter paroxyſmos, æque apparet, illis imprimis ægrotis, quorum ventriculus crudis adhuc atque immutatis ſcatet ingeſtis.

Diuturniorem vero plus juſto abſtinentiam, exitialem ſæpius in febre intermittente obſervarunt practici ſolertiores, eamque ſemper plus ſecum tuliſſe

o) Formul. invenies apud *S. Schulze* de formulis. p. 161.

tuliſſe damni, quam emolumenti *p*). Sed manum de tabula; nam

Non, Lectores, Vobis ſcio quod cuncta placebunt,
Nec mihi quæque placent, nunc me piget addere plura.

---

p) Hujus rei adfert Ill. *v. Swieten* plura teſtimonia, in *Commentar.* ad *Aphor.* 762.

CL.XXXI.

HÆMORRHAGIÆ EX PLETHORA

QUAS

PRÆSIDE

D. D. CAR. A LINNÉ

PRO GRADU DOCTORIS

proposuit Auctor

ERNEST. J. M. AB HEIDENSTAM.

Upsaliæ 1772. *Maji* 23.

PROOEMIUM.

Remotissimis jam adhinc temporibus sanguis non modo vitæ thesaurus a plurimis reputatus est, verum etiam multi sapientum, vitam animalium in eo consistere existimarunt. Nihilque certius, quam homines & animalia reliqua sine sanguine vivere non posse. Licet vero animali ad vitam sit quam maxime necessarius, plurium tamen in illis morborum, immo mortis præmaturæ caussa evadit, vel qualitate, vel quantitate, vel utrisque peccans. Ad propositum quidem non pertinet pertractare emolumenta atque dispendia,

quæ ex ſanguine in ſanitatem & vitam hominis redundant, cum tantummodo quosdam effectus ex plethora oriundos, Hæmorrhagias nempe, leviter adumbrare in mente ſit. Quo id vero facilius fiat, hanc diſſertationem in XII. diſpeſcam paragraphos. Quarum prima vocis Hæmorrhagiæ tradet ſignificationem, ſimulque oſtendet, quo hæmorrhagiæ, quas pertracto, a cæteris ſanguinis eruptionibus differant. Secunda ejusmodi enumerationem ſiſtet hæmorrhagiarum, & vaſa, e quibus proveniunt, ſimul indicabit. Tertia *deſcribet* ipſam plethoram, qua efficiuntur. *Exhibebit* quarta perſonas ad plethoram proclives. Quinta cauſſas plethoræ in illis. Sexta enumerabit ſigna, quibus manifeſtatur. Docebit vero ſeptima, quinam plethoricorum his præſertim obnoxii ſint hæmorrhagiis. Octava cauſſas, in ipſis hæmorrhagias perficientes. *Imminentis eruptionis ſigna indicabit nona.* Decima *prognoſin.* Decima prima *curam præſervatoriam.* Decima denique ſecunda ipſam curam.

§. I.

Vocis Hæmorrhagiæ ſignificatio.

Origine græca vox *hæmorrhagia* eſt. Componitur vero voce αἷμα *ſanguis*, & verbo ῥήγνυμι, *rumpo*, & copioſiorem quamlibet ſanguinis effuſionem cum impetu denotat. Hujusmodi etiam naturæ ſunt hæmorrhagiæ, de quibus loquimur, conjunctæ cum virium proſtratione & cunctis ſymptomatibus, quæ magnæ ſanguinis jacturæ effectus ſunt. Ab excretionibus ſanguinis a natura ad minuendam plethoram paratis, hæ hæmorrhagiæ itaque diſcrepant; talia ſymptomata nullas harum excretionum comitantur, nec illæ quam leviſſima mala, ſed ſecundam potius afferunt valetudinem.

Neque

Neque menſes, neque lochia idcirco ad hæmorrhagias pertinent. Neque fluxus hæmorrhoidalis regularis periodicus. Neque inſuetæ iſtæ ſanguinis eruptiones, quæ, ſecundum Auctores, loco menſium, e vaſis auris externæ, apicibus digitorum, papillis mammarum, umbilico &c. &c. erumpunt, diſſertationi huic igitur peregrina ſunt. Nec hæmorrhagiis inſeri poſſunt magnæ ſanguinis profuſiones, e ruptis varicibus, vel anevrysmatibus, vel vaſis, vi externa læſis, oriundæ, cum effectus plethoræ proprie dici nequeant. Neque eadem ratione expreſſiones ſanguinis, quæ in diarrhoea & dyſenteria e vaſis inteſtinorum, ut in aliis morbis, e vaſis certorum viſcerum, fiunt. Multo minus gingivarum in ſcorbuticis cruentatio, & ejectio ſanguinolenta e faucibus & aſpera arteria, quibusdam perquam familiaris.

§. II.

Enumeratio hæmorrhagiarum quæſtionis.

Hæmorrhagiæ autem, de quibus agitur, ſunt:

Hæmorrhagia narium. Oritur e vaſis membranæ pituitariæ, nares internas, ſinus frontales, maxillares & ſphenoidales inveſtientis.

Hæmoptyſis. Ex vaſis pulmonum & bronchiorum.

Vomitus cruentus. Ex vaſis ventriculi, inteſtinorum tenuium viſcerumque adjacentium.

Mictus cruentus. E vaſis renum, ureterum, veſicæ, urethræ & corporum ſpongioſorum, quæ urethram circumdant.

Hæmorrhagia uteri. E vaſis uteri & vaginæ, cæterisque hujus viſceris partibus.

Hæmorrhagia hæmorrhoidalis. E dictis vasis hæmorrhoidalibus in- & externis.

Hæmorrhagia cerebri seu Apoplexia sanguinea. E vasis cerebri, cerebelli, medullæ oblongatæ & meningum cerebri, præcipue piæ matris.

Omnia hæc vasa, ut notum est, delicatis admodum & teneris constant fibris tunicisque. Neque firmioribus membranis, nec fibris muscularibus teguntur. Neque a partibus, in quibus sita sunt, ita sustentantur, ut facto magno sanguinis impetu illorum expansio ac ruptura præcaveri queat. Facilius itaque aliis corporis humani vasis cedunt, majoremque sanguinis copiam, pro magnitudine voluminis admittunt, rupturæ magis obnoxiæ.

§. III.

Plethoræ descriptio.

Vasis itaque §. 2:da indicatis residet plethora, quæ supra modum expandendo causa primaria fit hæmorrhagiarum. Græcæ etiam originis vox est plethora, a verbo πλήθω *impleo*, derivata. Majorem significat sanguinis quantitatem, quam quæ commode a corde vasisque capi & moveri possit. Ab auctoribus quoad vasa & vires distinguitur plethora. Per illam, modo descriptam intelligimus. Per hanc vero non sanguinis tantum abundantiam, sed nimiam potius cordis & systematis vasorum ad sanguinem recipiendum movendumque debilitatem. Magnam igitur istam vasorum expansionem, quæ debili ægroto, hecticis scilicet aliisque, in paroxysmo febrili peculiaris esse solet, strictiori jure plethoram crediderim, ut a quibusdam auctoribus, nominandam fuisse spuriam. Ita enim plures intempestivæ & noxiæ venæ sectiones impeditæ essent,

in

in ægro ſæpius ſanguinis penuria laborante, nominis tantum gratia, inſtitutæ. Nunquam itaque ſpuriam illam intelligendam volumus, quotiescunque in diſſertatione hæc vox plethora occurrit, ſed veram.

§. IV.

Subjecta Plethoræ.

Ad plethoram vero præcipue diſpoſiti ſunt, quorum ventriculus, inteſtina & reliqua viſcera, efficaciori munere ſuo fungendi vi prædita ſunt, & qui vehementi appetitu inſtructi, ingeſta rite concoquunt. Id vero eo magis quando cor vaſorumque ſyſtema ea gaudent capacitate, ut majorem ſanguinis copiam facilius recipiant, vi motrice debiliori; ita ut chylus in ſanguinem delatus, ei lente immiſceatur, & in ſanguinem convertatur, adeoque cum materiis, quæ per cutem & renes excernuntur, ab illo nihil perdatur; quod in illis fieri ſolet, quorum vis vitæ fortis celerisque. Plethoræ ergo præſertim obnoxii ſunt ſanguinei & ſanguineo-cholerici, quia illorum corpus vitæque vires dicto ſeſe habent modo. Melancholici autem & melancholico-cholerici ob firmitatem fibrarum earumque vim agendi ad eam minus proclives cernuntur; ſi vero per fortunam licet opipare vivere, digeſtio rite fit, abundantior in illis ſæpius gignitur ſanguis, venis tamen potius quam arteriis reſidens, quum hæ difficilius dilatentur cedantque. Sunt auctores, qui ſanguinis copiam in perſonis modo memoratis, vocarunt plethoram ad vaſa; plethoram vero ad habitum, quæ in ſupra dictis locum obtinet. In nonnullis jam in pueritia adoleſcentiaque oritur plethora, ad ſexageſimum ſæpius annum durans. Anno decimo tertio & quarto ut plurimum in ſexu ſequiori apparet, illius ad quin-

quageſimum usque comes. Hæc vero, ut alia, viciſſitudini ſubjecta ſunt.

§. V.

Cauſſæ Plethoræ.

Cum in corpore plus ſanguinis paratur, quam conſumitur, oritur plethora. Copioſe aſſumtus & bene nutriens cibus potusque, conſuetarum excretionum ſanguinis aliarumque evacuationum ſuppreſſio vel inſufficientia, motus neceſſarii defectus, ſomnus placidus & diuturnus, animusque incurius atque tranquillus, cauſſæ illius ſunt. Remotæ præterea quædam ſunt cauſſæ, ſanguinis æque in iſtiusmodi corporibus præternaturali accreſcentiæ faventes, ut commoratio in regionibus, aëre temperato, potius autem humido quam ſicco, gaudentibus, veſtitus præter neceſſitatem denſus, aliæque illius generis cauſſæ, quibus ſolidorum fibræ pedetentim laxantur; circuitus vero ſanguinis ac ſe- & excretiones inde pendentes retardantur, & conſequenter ſupra tempus retentioni partium nutrientium in ſanguine præbetur anſa. In prædiſpoſitis hisce cauſſis perficitur plethora, juvenili celerius ætate, virili tardius.

§. VI.

Signa Plethoræ.

Cognoſcitur vero plethoræ præſentia in ſanguineis ſanguineoque cholericis, ex habitu corporis florido ſubtumidoque, faciei inprimis, oculis rubris & ſcintillantibus, phlogoſi frequentiori, venis tumentibus pulſuque magno & celeri; in melancholicis autem & melancholico-cholericis ex venis adeo turgidis, ut in ſuperficie cutis, præcipue frontis

frontis & extremitatum, inſtar tenſæ tactuique duræ ſe præbentis chordæ jaceant; ex pulſu deinde magno, forti & celeri, capiteque præter morem gravi. In cunctis præterea dictorum temperamentorum perſonis ulterius ſe prodit plethora crebriori capitis dolore, continua corporis laſſitudine, aurium tinnitu, vertigine, & ad minimum corporis motum, cordis palpitatione, anguſtia ſpirandi inſequente ſanguinis orgasmo nonnihil durante, ac ſæpius anxietate & inquietudine. Hæc licet ſigna plethoræ ordinaria ſint, ſub initio formationis illius omnes tamen non adſunt; ſed creſcente plethora creſcunt.

§. VII.

Subjecta Hæmorrhagiarum.

Enodatis ſic cauſſis hæmorrhagiarum ad horum morborum progredimur diſquiſitionem. Cum jam paragrapho prima deſcriptionem, ſecunda enumerationem illarum fecerimus, ſine ulteriori ambage ad perſonas præcipue illis obnoxias, conferre nos poſſe exiſtimaverim. E ſupra allatis, in fine §. 4:tæ inprimis, patet, omnes eos id eſſe in genere, in quorum corpore perfecte, vel quoad maximam partem, formata eſt plethora. Illud vero in ſpecie valet de plethoricis ſenſibilioribus tenerioribusque ſolidis, & ſanguine valde fluido ac mobili, *gaudentibus*. Porro de omnibus, quorum parentes hæmorrhagias ſæpius perpeſſi ſunt. Ætatis tamen reſpectu hæc diſpoſitio differt. Ita enim plethorici pueri, juvenes puellæque, a decimo tertio ad decimum octavum, & quod excurrit, annum, ad hæmorrhagiam narium proni, poſteriores nominatim, ſi tempeſtivus defuerit menſium fluxus, vel debita quantitas. Adoleſcentes virique ad hæmoptyſin, præſertim cum antea narium

laborarunt hæmorrhagia, vel etiam, ut haud raro certis ſubjectis ſolet accidere, cum fluxum hæmorrhoidalem experti ſunt, conſueto tempore deficientem, vel plane ſuppreſſum. Fœminæ juniores, quarum menſes aut lochia non debite fluunt aut omnino ſupprimuntur. Omnes vero hæ perſonæ illud eo magis ſunt, ſi pectore angusto & plano, vel dorſo male conſtructo, vel collo nimis longo præditæ, vel parentibus genitæ hæmoptoicis aut phthiſicis, vel ſi omnes hæ circumſtantiæ ſimul concurrunt. Ad vomitum cruentum, plethorici, qui inferiori ætate hæmorrhagiam narium, virili fluxum hæmorrhoidalem perpeſſi ſunt, mulieresque natu majores & minores defectu menſium laborantes. Eo autem prius certiusque in hunc morbum incidunt dictæ perſonæ, vaſis ventriculi viſcerumque, vel ob hæreditariam diſpoſitionem debilibus, vel ſi a perverſa diæta, aut frequenti remediorum irritantium uſu, partis virium & activitatis jacturam fecere. Ad mictum cruentum, quorum ſyſtema urinoſum a natura ſupra modum tenerum, tunicæ inprimis vaſorum, potiſſimum quando defuere conſuetæ excretiones ſanguinis, aut debilitas, vel prorſus certorum vaſorum renum, ureterum &c. &c. ruptura, crebriori diureticorum uſu, effectæ ſunt. Ad hæmorrhagiam uteri plethoricæ mulieres, quarum ſyſtema uterinum a natura debile, quibusque menſes pridem nimis copioſæ, deinde inſufficientes vel plane per intervalla ſuppreſſæ ſunt, aut apud quas regularis fluxus hæmorrhoidalis ad tempus non rediit; omnium verum primo uxores partum olim difficiliorem enixæ, aut quibus placenta ſub graviditate avulſa eſt. Ad hæmorrhagiam hæmorrhoidalem, viri plethorici juniores ſenioresque, qui juventute frequenti narium hæmorrhagia, poſtea vero fluxu hæmorrhoidali periodico laborarunt, remediis ex aloë, jalappa &

ejusmodi

ejusmodi ingredientiis paratis usi; mulieres quoque, quarum menses nimis parce fluxerunt, aut ante quinquagesimum jam cessarunt annum, vel quarum quidem sed insufficientes fluunt, quia copiosior sanguinis affluxus, crebro enematum acrium & emollientium vel remediorum purgantium usu, ad vasa intestini recti prolicitur. Ad hæmorrhagiam cerebri virilis ætatis personæ senesque plethorici, præcipue qui juvenilibus annis, hæmorrhagiam narium, virilibusque fluxum hæmorrhoidalem experti sunt, vel usitatas sanguinis evacuationes artificiales neglexerunt; eoque illud magis, si parentibus nati apoplexia defunctis, aut si corpus ita comparatum circumferant, ut verbi gratia, breve collum & caput pectori quasi incumbens. Omnibus hisce autem hæmorrhagiis potius memoratæ personæ obnoxiæ, cum jam semel aut pluries illis afflictæ, eandem semper observant diætam modumque vivendi.

§. VIII.

Causæ efficientes harum hæmorrhagiarum.

A dispositione vero §. 7. indicata proveniunt hæmorrhagiæ quæstionis, quamprimum in hisce corporibus sanguis impetuose præter morem, movetur. Teste experientia, hoc efficiunt vehementiores motus corporis animique affectus turbulenti, potus spirituosi, cibusque nimis conditus; percalido vero in aëre tempore æstivo, & hyemali arctis valdeque calefactis conclavibus commoratio, nec non ejusmodi gelu, quo subito a superficie corporis ad majora vasa & cor propulsus sanguis, hoc ad frequentiores fortioresque incitat systolas & diastolas, atque sic supra memoratæ celerioris & vehementioris circulationis fit causa. Hæc autem

in

in motu ſanguinis cordisque cum locum habere haud poſſit immutatio ſine valida illius expanſione, qua diameter vaſorum amplificatur & tunicarum parietes eadem ratione diſtenduntur, neceſſe eſt ut vaſa, quorum §. 2:da facta eſt mentio, hanc eo fortius experiantur dilatationem, cum ob fibrarum & tunicarum teneritatem ſufficienti inepta ſint reſiſtentiæ. Abundans itaque & celeri motu circumlatus valdeque rarefactus ſanguis, vaſorum, in quibus antea ſenſim ſenſimque jam fuit accumulatus, eo usque diſtendit tunicas, dum vel poris in eorum extremitatibus ſatis dilatatis, vel ruptis tunicarum parietibus, inveniat exitum; & ſic in parte, in qua eſt directio ſanguinis, hæmorrhagiam faciat.

§. IX.

Signa hæmorrhagiarum eruptionis imminentis.

Imminentis vero eruptionis hæmorrhagiarum ſigna, ſæpius vix percipienda, ſæpius clarius manifeſtantur. Sic enim hæmorrhagia narium ſæpenumero ſine ulla ſenſatione peregrina præcedente corripit, pueros inprimis juvenesque, & omnes, qui ea ſæpius laborarunt. Denuntiari tamen ut plurimum ſolet preſſorio ſupra naſum orbitasque dolore, ſæpius cephalalgia, aurium tinnitu, vertigine, oculorum ſcintillatione atque rubedine, vaſorum colli & faciei intumeſcentia, rubore naſi, illud præſertim circa latus, ubi eruptio futura eſt, horripilatione quadam cutis calore inſequente, celeri primum pulſu, celeriori deinde fortique, in temporibus potiſſimum. Quandoque etiam in juvene fœminisque delicatioribus inopinate & nulla prægreſſa moleſtia oritur Hæmoptyſis; multi enim ejusmodi ægrotantium vix ſentiunt lineam iſtam calentem, quæ ſub eruptionem per medium pectus & aſperam arteriam

arteriam adeſſe ſolet, ancipitis hujus morbi ſignum. In ſenioribus vero, iisque quorum fibræ firmiores ſimulque valde ſenſibiles ſunt, quibusdam plerumque citra eruptionem horis, arctiori etiam temporis ſpatio, ante hæmoptyſin ſe ſiſtit horripilatio cutis tenſivo preſſorioque cum dolore, a collo ſupra pectus ad hypochondria ſeſe extendente. Accedit inſuper reſpiratio laborioſa, anxietas, tuſſis ſicca tinnitans, capitis dolor, aurium ſuſurrus & vertigo, inſequente lineæ illius calidæ in medio pectoris ſenſu, & largiore ſanguinis tenuis ſpumoſi, ſæpius etiam coagulati, ejectione. Vomitus cruenti fere ſemper ſunt nuntii, horam & quod excurrit eruptionem ejus præcedentes, memorata horripilatio, pulſus parvus & celer, nauſea, vomendi conatus, anxietates circa præcordia, dolor preſſorius ac tenſivus in cordis ſcrobiculo hypochondriisque, ſiniſtro maxime. Peringrata in ventriculo hisce ſymptomatibus ſe adjungit ſenſatio, qualis poſt aſſumtum cibum corruptum ſolet eſſe. Ipſe poſtea accedit vomitus, in initio cibo incocto, vel ſemicocto, vel chymo & pituita mixtus, ad finem vero ſanguine nigro, magis vel minus coagulato. Mictus cruentus æque dicta ſe fere ſemper cutis horripilatione manifeſtat, ipſo frigore ſæpius comitante. Habituales ſe præbent ſocii, dolores tenſivi & preſſorii circa regionem lumbarem, hypochondriacam, pubis, quin immo compluries circa os ſacrum & in ipſis renibus. Ubi per tempus durarunt hæc ſymptomata, advenit mictus ipſe, decreſcentibus ſenſim ſymptomatibus, ſi ſcilicet ſanguis adeo fuerit fluidus, ut ſine impedimento tranſire poſſit ſyſtema urinoſum. Quum vero nimis ſpiſſus in quibusdam locis memorati ſyſtematis ſtagnet, horrenda anxietate preſſorioque & tenſivo dolore cruciatur æger, magna accedente debilitate, lipothymia, ſudore frigido &c. &c. aliisque ſymptomatibus,

matibus, haud ceſſantibus, priusquam attenuatus ſanguis cum urina excernatur. *Hæmorrhagiam* uteri quoque præcurrunt horripilatio iſta, multotiesque frigus & dolores tenſivi preſſoriique in dorſo & regione hypogaſtrica, præſertim pubis. Inſequuntur mox anxietates, cordis palpitatio, reſpiratio anheloſa, inflationes in abdomine, magna debilitas, frigidus ſudor, frequenterque lipothymia. E corpore denique ruit ſanguis ad partem coagulatus & quaſi in fruſtis. *Hæmorrhagia* hæmorrhoidalis nuntium habet dictam horripilationem, imperceptibilem ſæpe, ſæpe fortiorem. *Futuram* vero ſemper indicant tenſivi preſſoriique circa os ſacrum & coccygis dolores, ac majori vel minori gradu conjunctus ſtupor crurum cum refrigeratione pedum. Raro fit, ut ſine prægreſſis inflationibus inteſtinorum, doloris colicis, vel torminibus, languore &c. appareat. *Alvum* tandem deponere cogitur æger, tumque ſanguis fluidus aut paulum coagulatus excrementis mixtus, poſtea purus excernitur. Manifeſtat ſe in prædiſpoſitis hæmorrhagia cerebri capitis dolore gravativo & preſſorio, aurium tinnitu, vertigine, ingenii memoriæque hebetudine, rubentibus & ſcintillantibus oculis, inſueto rubore atque tumore faciei, magna venarum jugularium, frontis &c. &c. turgeſcentia, pulſu celeri, pleno fortique. Omnia vero hæc ſymptomata eo certius imminentis apoplexiæ ſunt ſigna, ſi conſuetæ in ægroto deſideratæ vel ſubito ſuppreſſæ fuerint excretiones ſanguineæ, e. g. menſium vel hæmorrhoidum, aut ſi ardenti ira, potus ſpirituoſi abuſu, nimio corporis motu, ſubitaneo terrore vel vehementiori frigore, ſanguis præter morem agitatus, ab ambitu corporis ad interiora majora vaſa & cor, atque ſic porro ad vaſa capitis inſueta quantitate impetuque fuerit pulſus, & debita ratione per venas haud remanaverit. Per-

fectam

fectam vero hæmorrhagiam indicant hæc ſymptomata ſenſim ſenſimque increſcentia, rubor ſcilicet & intumeſcentia faciei, oculi rigentes adeoque tandem tumentes, ut quaſi modo e capite videantur eminere; mutatur pulſus a celeri pleno fortique, in languidum & rarum, accedente demum laborioſa cum ſtertore & rhoncho reſpiratione, dentium ſtridore, vomitu, motu omnium muſculorum convulſivo, atque cunctorum ſenſuum externorum & internorum abolitione & motuum voluntariorum ceſſatione.

Recenſita licet ſymptomata hæmorrhagiam ex plethora annuntient, notum tamen eſt, non ſemper omnia, ſed quædam tantummodo illorum in omni adeſſe ægroto. Quod etiam valet de ſymptomatibus, quæ effectam hæmorrhagiam comitantur. In gratiam vero quorundam lectorum hanc obſervationem haud omittendam duxi.

§. X.

Prognoſis.

Multum cum ſanguinis in unaquaque dictarum hæmorrhagiarum perdatur, maximi omnino momenti morbus æſtimandus eſt. Eoque potius erit, ſi debito tempore tolli nequit, aut æger illo durante valde debilitatur, aut ſi penitus in lipothymiam inciderit, ex qua difficillime revocatur. Sit etiam ut denique ſupprimatur hæmorrhagia, magna tamen inſequitur virium proſtratio, quæ, niſi cito reparetur, morbum hypochondriacum, hyſtericum, hecticum, tympaniten, hydropem &c. adferre poteſt. Si autem nullo modo ſiſtenda, mors evitari nequit. Quam ancipites vero quamque periculoſæ ſint hæmorrhagiæ, nonnullæ nihilominus ex illis, quibusdam caſu proſunt. Huc referendæ hæmorrhagia

rhagia narium & hæmorrhoidalis. Maximo ambo in morbis acutis ſunt ſubſidio, præcipue ſi fiant die critico, quia graviora illorum ſymptomata, calorem nempe ardentem, inexplebilem ſitim, vehementes capitis dolores, vertiginem, aurium tinnitum, delirium, reſpirationem laborioſam, dolores punctorios, &c. multopere minuunt, immo quandoque tollunt. Ambæ itaque ſæpius apoplexiam ſanguineam, pleuritidem aliasque inflammationes aut avertunt, aut ad ſummam partem earum perficiunt curam. Neque minus favent medendæ hæmoptyſi, ſymptomata ejus mitigando. Ubi vero diutius durant dictæ hæmorrhagiæ, ſequitur illas, ut cæteras, languore repleta vita & morbi ſupra memorati, aliique. Reliquæ ex plethora hæmorrhagiæ valetudini nunquam non nocent. Novi tamen ſeptendecim annorum virginem, cui redeunte quovis menſe, loco menſtrui fluxus, per biennii ſpatium rediit vomitus cruentus, absque ullo ſanitatis detrimento. Hæmoptyſis in plethoricis majoris vel minoris momenti eſt, pro ratione vehementiæ, durationis vaſorumque, e pulmonalibus nempe fiat, an bronchialibus. Quandocunque enim parum abit ſanguinis rubri ſpumantisque, illaque deſinit cum omnibus ſymptomatibus, quæ ante eruptionem ſenſit æger, ſignum eſt eum e poris arteriæ bronchialis venire, illique radicitus mederi poſſe. Ubi e contrario ſanguis cum impetu & per longum tempus ex ore quaſi proruit, radicalis raro locum obtinet cura, cum tunc e vaſis indigitatæ arteriæ, aut prorſus e ramo pulmonalis effluat. Vidi tamen ejusmodi hæmoptyſin ad quoddam tempus omnino ſublatam, neque phthiſin, nec alios morbos induxiſſe hecticos; vitiis vero in diæta commiſſis, recidit. Anno 1753 Februario Martioque menſibus morbus iſte quaſi epidemice graſſabatur Stockholmiæ. Curæ Vener. Parentis quidam ex eo ægri tunc temporis

poris commissi erant, talisque fuit in medendo fortuna, ut plurimi eorum in pristinam valetudinem restituti, ne minima quidem mali illius incommoda postea sint perpessi. Superstites in vita adhuc sunt ex istis quidam, qui præter levem tussim, vere autumnoque per breve tempus infestantem, quam optime valent. Ex illis vero, quos morbus corripuit recidivus, duo erant per 6 dies largiorem sanguinis copiam rejicientes. Neque eo minus ante annum 1769 obiere, alter sexagesimo ætatis anno, alter sexagesimo sexto, quamvis haud prudenter viventes, sed potius gulæ indulgentes, nullamque tempestatum habentes rationem. Quam feliciter vero harum hæmorrhagiarum absolvatur medela, brevi tamen fere semper lethales esse solent, præsertim e majori dictorum vasorum ramo rupto factæ, quandoque sanguis non ejectus in aspera arteria stagnat. Quæ in principio levis fuerit hæmoptysis, in qua vero cum sanguine rubro spumante proruit coagulatus, per se equidem vitæ discrimen non affert illico, progressu tamen, cum sanguis extravasatus in bronchia haud ita deponatur, ut commode tussiendo possit ejici, verum potius ad partem remaneat in pulmonibus, ibi stagnet, calore solvatur atque in saniem denique vertatur, sensim sensimque eorum quæ rodit & exulcerat substantiam, inducitque phthisin pulmonalem ac frequentiores recidivas. Vomitus cruentus radicitus curatur, cum sanguinis exigua rejicitur quantitas, cito cessat ipse vomitus, & symptomata antecedentia facta eruptione plenario desinunt. Neque minus extra discrimen est, quando in fœminis loco mensium, fluxusque hæmorrhoidalis periodici in viris, sine magnæ debilitatis aliarumque gravium symptomatum apparet sensu, quamvis tunc abundare soleat; quamprimum enim hæ excretiones in pristinum statum redeunt, cessat nunquam reversurus,

ſurus, niſi illæ fuerint turbatæ. Abundanter autem reſputo ſanguine maximi eſt momenti, cum tunc ex vaſe vel pluribus ruptis proveniat. Hic ſi diu durat vomitus, eoque durante cruciantes anxietates, lacerantes in regione epigaſtrica hypochondriisque ſentiuntur dolores, ſi animi denique adſunt deliquia, in ſummo ſane periculo verſatur æger. Licet etiam demum ſiſtatur vomitus, recidivus tamen ut plurimum recurrit, morbosque hyſtericos, hypochondriacos, hecticos aliorumque malorum adducit catervam, quæ vitam deplorandam reddunt. *Mictus in plethorico juniori nil mali ominatur cruentus*, ſi præter plethoram caret cauſſa, aut ex turbatis vel ſuppreſſis naturalibus ſanguinis excretionibus oritur, ſanguis ſine impedimento cum urina abit, neque graviora eruptionem antecedunt aut comitantur ſymptomata. Diſcrimine vero plenus ſi *poſt diuturnos dolores dorſales & colicos gignitur, aut uſum diureticorum inſequitur*, ac *magnam debilitatem, vehementem colicam, in dorſo dolores*, nauſeam, conatum vomendi aut vomitum ſecum fert. Si vero memoratæ indolis eſt mictus, neque ſyſtema urinoſum libere poteſt permeare extravaſatus ſanguis, ibi paſſim verſans ſtagnansque, ultroque accedunt lipothymiæ, ſtagnansque haud ſolvitur ſanguis ut cum urina excernatur, vita periclitatur. Hæmorrhagia uteri in plethoricis nunquam levis eſt momenti, præcipue in gravidis aut partu difficiliori vel abortu orta, quia tunc quam plurimum ex ruptis vaſis venit, manu non ſemper attingendis. Siſti itaque cum nequit moritur æger; ſiſtitur cum debito tardius, per vitam multis gravioribus morbis refertam langueſcit. Semper lethalis eſt hæmorrhagia cerebri ubi ex majori ramo rupto fit, quia agger illi ullo modo poni nequit, nec ſanguis extravaſatus reſorberi ac circulanti admiſceri. Neque diſcrimine caret, licet

modo

modo; ſanguis ex dilatatis poris arteriæ, vel arteriarum quarundam proveniens, in unum alterumve ventriculum defluat, quia, ceſſante etiam ſanguinis efluxu, egreſſus tamen raro abſorbetur & maſſæ circulanti incorporatur. Inde plerumque paralyſes & ſingula vel plures recidivæ. Eos quod attinet affectus apoplecticos, quibus ita mederi poſſumus, ut ne minimam dein percipiat æger moleſtiam, hæmorrhagiæ cerebri ortum non debent, ſed potius, ni valde fallor, ſunt effectus congeſtionis ſanguinis in vaſis cerebri factæ, id eſt, cauſſæ, per quas operantur ſymptomata, imminentem ſanguinis eruptionem indicantia, vel, ſi omnia largior, effectus tantum ſeparationis liquidi copioſioris in ventriculis cerebri.

§. XI.

Cura prophylactica.

Morbus impeditur, impediendo cauſſas prædiſponentes & efficientes. Illud fit in hæmorrhagiis tractatis avertendo abundantem ſanguinis generationem; hoc vero generatum ita coërcendo, ut effectus exercere nequeat. Obſtant vero nimiæ ſanguinis generationi cibus parum nutriens modice aſſumtus, aqua pura fontana pro potu quotidiano ſumta, ſufficiens motus, naturalium ſanguinis excretionum ſuſtentatio vel reſtitutio, rectus reliquarum 6 rerum non naturalium uſus, corpusque debite veſtitum. Eodem modo inchoantis plethoræ optime certiſſimeque avertuntur effectus, modico inprimis cibi potusque uſu, frequenti, verum temperato corporis motu, pauco ſomno in conclavi frigido atque ſpatioſo, ubi purus aër. Noxiis vero effectibus plethoræ jam natæ, in motu poſitæ certisque in vaſis accumulatæ, optime me-

detur larga venæsectio, rectus hirudinum, cucurbitarum cum sacrificatione, laxantium antiphlogisticorum & supra dictorum clysmatum usus, quies denique corporis & animi, quæ ad temperandum sanguinis orgasmum multum conducunt. Tempus & circumstantiæ, quo modo omnia hæc remedia adhibenda sint, peritum docent medicum. Nullam itaque ulterius illorum injecturus mentionem, curæ hæmorrhagiarum quæstionis, me jam accingo.

§. XII.

Hæmorrhagiarum cura.

Quam sit difficile & sæpius quam impossibile rupta certis in locis, præcipue viscerum vasa, consolidare, nimisque dilatatis atque debilitatis tonum & robur ad functiones exercendas reddere, practico œconomiam animalem haud ignoranti, notum est. Cura itaque hæmorrhagiarum quæstionis, quo felici absolvatur eventu, quantumque potest ad emolumentum ægri dirigatur, summam requirit dexteritatem in seligendo & applicando remedia a me hunc in finem proposita. Hæc vero, si certa remedia pharmaceutica sanguinis orgasmum temperantia, nec non ligaturas artuum, turundas fungumque quercinum addas, nulla alia sunt, quam quæ jam formatam & eruptionem minantem plethoram curant. Videamus nunc, quomodo his remediis in quavis hæmorrhagiarum, de quibus egimus, ad sanitatem recuperandam vel saltem morbum minuendum & allevandum, utendum sit. Narium autem hæmorrhagia primum quidem nostræ se offert contemplationi. Quam ominosa vero sit, ubi vehemens diutiusque durans, tam per se quam ratione eventus, per accidens tamen plethoricis proficua admodum & salutaris esse solet. Primos enim

enim plethoræ in motum positæ subito & efficaciter tollit effectus, rapidiorem scilicet circulationem, febrem, accumulationem sanguinis in vasis, præcipue cerebri & meningum, stagnationes & inflammationes inde provenientes, gravissimos ita morbos, capitis inprimis, cum funestis eorum effectibus avertit. Non itaque subito sed sensim neque prius compescenda est, quam sanguis abundans illius ope corpore fuerit eliminatus. Curæ inserviunt remedia nitrosa, clysmata & laxantia antiphlogistica, hæc apprime ubi æger spasmodicis in abdomine affectibus simul vexatur aut vexatus fuerit; hirudines, cum hæmorrhoidalis fluxus suppressus, vel magna fuerit in vasis hæmorrhoidalibus sanguinis accumulatio, vel mensium denique fluxus imminutus aut plane deficiens; venæsectio larga revulsoria, potissimum necessaria valde plethorico ægro; frequens julapiorum refrigerantium atque emulsionum ex seminibus 4 frigidis paratorum usus. Semper fere hoc modo brevi tempore felicique eventu curatur hæmorrhagia una cum causis, hoc est, plethora & vehemens circulatio, præcipue si magnus ramus vasis sanguinei cujusdam non fuerit læsus, sed modo sanguis prosilierit ex vasorum orificiis præter morem dilatatis. Nihilo vero secius si perdurat hæmorrhagia, vas ruptum est. Ubi æger symptomata nimiæ sanguinis jacturæ sentit, recensitis ulterius alia citissime adjungenda remedia, quo malo ponatur obex & graviora alia præcaveantur, quæ profusionem largioris sanguinis copiæ sequi solent, scilicet lipothymiæ, mors ipsa vel morbi chronici, affectus v. g. hypochondriaci & hysterici, cachexia, hydrops multaque mala ex imminuta activitate partium solidarum corporis profluentia. Quæ præterea ad coërcendam hæmorrhagiam adhibenda remedia, dictæ sunt ligaturæ artuum, turundæ ex linteo carpto, vel

fungus quercinus tundendo paratus. Haud equidem ignoro plura in hæmorrhagia narium ut ſpecifica commendari; hæſitavi vero iſta præſenti diſſertatione ut ſatis tuta proponere, cum diu ſit, quod edoctus fuerim, rem quampiam recto ſolum uſu proficere, aliter qualemcunque nocere. Remedia inſuper a me indigitata ad medelam hæmorrhagiarum ſufficiunt, niſi fuerint incurabiles. Redeamus jam ad ligaturas, quæ in extremitatibus, manibus præſertim & brachiis inſtituuntur, non vero fortius adſtringendæ, quam ſatis eſt ad minuendum nimium ſanguinis impetum verſus caput. Turundæ aceto humectantur, & in ſingula cavitate narium aut ambabus, pro ratione profluentis ſanguinis intruduntur. Idem fit cum fungo quercino præparato. Quum ex voto ita res ſuccedit, ut turunda vel fungus vas læſum attingat & comprimat, mox ceſſat hæmorrhagia. In quiete interea verſetur æger, parce loquatur, per os apertum cautus reſpiret, neque nares emungat. Sit aër in conclavi potius frigidus, quam calidus, quantumque poteſt a pulvere mundus, ne æger inde ſternutet. Juscula ſumat parca quantitate, quæ non exæſtuant, omnique alio, præter panis parum, abſtineat cibo. Pulveris temperantis, emulſionis ac julapiorum uſu pergat, & quo alvus munere ſuo rite fungatur, debito tempore detur clysma. Elapſis 36. aut 48. horis turunda aut fungus e naribus decidet. Hoc priusquam vero evenit, copioſus e naribus excernitur mucus, nullo modo emungendo provocandus, ſed levi manu abſtergendus. Elapſo fungo aut turunda quietus ſe teneat æger, ſeduloque omnia vitet, quæ vel minimam irritationem aut concuſſionem in naribus producunt. Ad confirmandam valetudinem fugiat cauſſas, nimiæ ſanguinis generationi faventes, & circulum illius celeriorem reddentes. Remediorum leniter laxan-

tium

tium ex rheo paratorum pergat uſu, & quædam quotidie grana extracti corticis peruviani, qua placet forma, ſumat in reſtitutionem virium. Secunda hæmorrhagia cujus deſcribenda nobis occurrit cura, hæmoptyſis eſt. Cujus quam primum prædiſpoſitos (§. 7.) prima invaſerint ſymptomata, (§. 9.) convenientibus obviam eundum remediis, quo, ſi fieri poteſt, magna dilatatio & inſequens ruptura vaſorum, e quibus provenit, avertatur. Protinus itaque inſtituenda eſt venæſectio, adminiſtrandi pulveres nitroſi & emulſiones, injiciendumque clysma antiphlogiſticum. Suppreſſus hæmorrhoidum, menſium vel lochiorum fluxus, cauſſa ubi mali fuerit, feſtinanter applicandæ hirudines, priori caſu vaſis inteſtini recti tumidis, poſteriori marginibus labiorum vulvæ, aut ſi fœmina hæmorrhoidaria, utrisque ſimul partibus, quo efficacior fiat revulſio. In uſu horum remediorum perſeverandum eſt, ubi ſanguinis ejectio durat vel plane augetur. Sit interea in quiete æger, & aër in conclavi temperatus ac purus, ne tuſſim irritando excitet. Pro potu ordinario præter emulſionem bibat jusculum tepidum ex avena & aqua fluviali coctum, ſaccharo edulcatum. Quum demum ceſſavit hæmorrhagia, recidivæ præcaventur modico cibi potusque uſu, excretionum ſanguinis naturalium, fæcum alvinarum &c. ſuſtentatione aut reſtitutione, omnium in uſu 6. rerum non naturalium errorum ſedula vitatione. Ad perficiendam curam & confirmandam valetudinem optime inſervit infuſum ex herbis vulnerariis e. g. Hyperico bis de die cum lacte aſſumtum, nec non Tinct. Rhei dulc. V. P. *a*) tertia parte elixirii pectoral. mixtum. Si vero ſyſtema nervoſum ægri cæteræque ſolidæ mobilesque corporis partes, magna ſenſibili-

a) Vide Kongl. Reſe-Apotheket.

ſibilitate gaudent ac mobilitate, extractum cort. peruv. ſucco Glycyrrhizæ mixtum, nuper memoratis remediis adjunctum, ad roborandam ſanitatem haud parum conducit.

Tertio conſiderandus venit vomitus cruentus. Requirit iſte venæſectionem, uſum pulveris temperant: V. P. *b*), emulſionis, clysmatum emollientium, atque in hæmorrhoidariis & inordinato vel ſuppreſſo menſium fluxu laborantibus, applicationem hirudinum. *Protinus in brachio debita quantitate inſtituenda venæſectio. Statim doſis pulv. temperant. exhibenda.* Continuo pro potu ordinario tepide aſſumenda emulſio, vel juſcula tenuia ex avena vel hordeo ex aqua fluviali parata. Neque minus enema ſimul ac fieri poteſt, injiciendum. Supra abdomen applicandus ſaccus ex floribus *chamomillæ & mentha criſpæ, modice calefactus. Hirudinum ubi indiget uſu æger, confeſtim inſtituendus eſt enemate vel enematibus injectis* rectoque & colo a fæcibus liberis. Edocent medicum indoles & natura tam morbi quam ægri, quam diu hæc remedia ſint adhibenda. Quum ſæpius in ejusmodi ægrotis in primis viis & inteſtinis acres lateant materiæ, lenibus ſenſim purgandæ ſunt remediis, quod optime fit Tinct. Rhei V. P. cum ſyrupo roſarum ſolutivo mixta: Ceſſante demum vomitu atque ventriculo & inteſtinis *tenuibus* &c. a ſanguine coagulato liberatis, *infuſum* ex herbis vulnerariis ſufficienti lactis quantitate & vitello ovi mixtum, bis, ter vel quater quotidie bibat æger. Omnes in uſu 6 rerum non naturalium ſedulo vitet errores, paululum modo, per vices aſſumat cibi, omnemque horreat multum conditum, concoctu difficilem & flatulentum, potus ſpirituoſos, refrigera-

b) Vide Kongl. Reſe-Apotheket.

gerationem corporis, pedum præcipue atque abdominis. In majus ventriculi robur debito tempore & refracta dosi utatur extracto cort. peruv. aqua soluto atque syrupo capill. vener. vel alio qualicunque mixto, continuetque cum Tinct. Rhei dulc. & infuso ex herbis vulnerariis. His remediis si quamdiu debet, steterit indesinens, tutus a recidivis præstatur, nisi vomitus ex tali ramo vasis sanguinei rupto prosiliit, cujus impossibilis est consolidatio.

Mictus cruentus, de quo jam agendum, iisdem ac vomitus prosligatur remediis, & in quorum usu, eodem fere modo, ut illo, se gerit medicus. Loco autem sacci ex herbis, emolliens supra regionem renum modice calefactum applicandum est cataplasma. Cum major vasis sanguinei haud ruptus fuerit ramus, remediis indicatis subito cedit mictus, alioquin diutius durat. Usu remediorum interea illo ordine pergitur, ut modo hæc, modo illa, pro ratione scilicet circumstantiarum, sumat æger. Mictus ubi adeo fuerit violentus, ut systema urinosum percurrere nequeat sanguis extravasatus, pro parte ibi stagnans, spartam tuentur convenientia diuretica, debita dosi & per debitum tempus adhibita. Emollientia simul injicienda enemata, & cataplasmatum usu persistendum, vel balneum emolliens parandum, in quo supra umbilicum, quamdiu tulerit, sedeat æger. Quamprimum vero in lectum temperatum receptus fuerit, iterum ponatur cataplasma, quo viæ urinariæ quantum satis dilatentur, stagnantique sanguini cum urina præbeatur exitus. His ex voto succedentibus, mictuque desinente vel leniter & absque ægroti incommodo durante, cum infuso ex herbis vulnerariis eodem modo incipit ac in vomitu. Quotidie insimul unam alteramve dosin Tinct. Rhei V. P.

P. adhibeat, ut alvus teneatur aperta viæque urinariæ ulterius purgentur. Ad avertendas recidivas ſtatui ſuo adaptatam ſervet diætam, paulo præſertim veſcatur, potus ſpirituoſos animique vitet pathemata, pedes & abdomen probe veſtiat, ac cane pejus & angue remedia fortia diuretica fugiat.

De cura hæmorrhagiæ uteri nunc diſſerendum eſt. Hæc ubi prima vice apparet ex plethora ſolum proveniens nullisque gravibus conjuncta ſymptomatibus, quæ magni vaſis ſanguinei rami indicant rupturam, cito tutoque curatur venæſectione, pulv. nitroſis, nominatis emulſionibus, enematibus antiphlogiſticis & applicatione hirudinum, inprimis ſi ſuppreſſus vel non recto tempore & debita quantitate rediens fluxus hæmorrhoidalis cauſſa illius fuerit occaſionalis. Recidivis præſtruitur cauſſas vitando quæ nimiæ ſanguinis generationi anſam præbent, & eas quæ motum reddunt naturali celeriorem vehementioremque. Si vero partus difficilioris vel abortus effectus fuerit, nec venæſectio, neque hirudines, niſi in valde plethoricis, ſecure in uſum vocantur, nec niſi præſens quidpiam hoc in caſu decernere poteſt medicus. E ſupra memoratis modo conducunt emulſiones, pulv. temp. enemata, ſacculi ex floribus chamomillæ, roſæ & herba menthæ, quies corporis animique & ſufficiens rerum neceſſariarum ſubminiſtratio. Ubi demum in gravidis violenta placentæ ad partem ſeparatio morbi cauſſa eſt, protinus & dextre adhibeas venæſectionem, enemata antiphlogiſtica ad tollendum præſentem fortaſſis in inteſtinis ſpasmum, emulſiones & pulv. nitroſos ad temperandum orgasmum ſanguinis. Paucis modo vaſis ruptis & non magna placentæ particula ſeparata, ſub initio præſertim hæmorrhagiæ, ſcopus

hisce

hisce obtinetur. Sanguinis vero nihilominus pergente & continuo fortiusque crescente fluxu, nil superest, præsertim ubi adveniunt magna debilitas vel plane lipothymiæ, quam dextra fœtus cum secundinis, extractio. Perdurante tamen hæmorrhagia symptomatibus advenientibus, quæ de vita ægræ timere faciunt, ad adstringentia utique confugiendum est, confitear licet cataplasma ex floribus chamomillæ & herba menthæ cum aceto paratum, & supra pudenda applicatum, sufficisse. Cum vero talis ægrota pariterque quæ ex partu difficili & abortu hac hæmorrhagia laborant, ut vulneratæ spectandæ sint, finita hæmorrhagia, ita etiam tractentur. In quiete sint, omnia vitia diætetica nec non violenta animi pathemata caute fugiant. Aër in conclavi sit temperatus ac purus. Remedia ad uterum purgandum propria non sunt negligenda, ea vero indole, ut absque magna commotione sanguinis, scopo satisfaciant. Adhibenda deinde tam externa quam interna, quæ tonum ac robur systematis uterini amissum restituere valent; sex rerum non naturalium usus insimul ita dirigendus, ut omnes pernicioſi morbi effectus avertantur, firmæque fundamentum struatur valetudini.

Ad curam hæmorrhagiæ hæmorrhoidalis nos jam conferimus. Ad hanc ex sæpe propositis remediis requiruntur pulv. temperantes, emulsiones, enemata emollientia, & in fœminis quæ mensium suppressione, vel iisdem nimis parca quantitate fluentibus, vel denique in justum tempus haud redeuntibus, laborant, applicatio cataplasmatis emollientis super regionem hypogastricam & pubis, nec non, si ita res exigit, hirudinum ad labia vulvæ. Hoc modo sensim minui & demum cessare solet sanguinis fluxus. Si etiam nimia sanguinis copia amitti-

amittitur, nihil tamen, præcipue pro valde plethoricis fortibusque ſubjectis, qui periculoſis morbis obnoxii, metuendum eſt, priusquam vires deficere incipiunt, aut alia nimiæ ſanguinis jacturæ ſymptomata adveniunt; cum notum ſit, hanc hæmorrhagiam non minus ac fluxum hæmorrhoidalem iis ſæpius perquam eſſe ſalutarem, & ad curam atque præſervationem doloris diuturni, inflammationum, omniumque hæmorrhagiarum, quæ plethoricos infeſtant, plus concurrere, quam omnia alia remedia. Ubi vero non obſtante remediorum uſu perdurans morbus periculoſiſſima ægro minatur ſymptomata, ad cataplasma in ſedandam uteri hæmorrhagiam commendatum properes, ne quid ad ſervandum negligatur. Quo purgetur inteſtinum rectum a congrumato ſanguine & tenesmus tollatur, hac hæmorrhagia, præcipue adſtringentibus dempta, interdum oriundus, optime proſunt clysmata ex juſculo avenaceo parata, nec non Tinct. rhei V. P. ſtatim poſt injectum clysma juſta doſi exhibenda. Ad avertendas recidivas cauſſæ vitandæ ſunt, quæ hæmorrhagiam excitarunt. Sedulo potiſſimum caveat convaleſcens ab uſu remediorum ex aloë & ſimilibus ingredientiis factorum. Modice edat bibatque. Omnibus etiam abſtineat, quo ad tempus, exercitiis, quæ ſanguinem præter morem verſus vaſa hypogaſtrica dirigunt, equitatione ſcilicet, agitatione in curru aut in aſſere &c. &c. Recuperata valetudine prudenter utatur. Abdomen artusque inferiores rite ſemper veſtiantur.

Ultimo loco contemplationi noſtræ hæmorrhagiæ cerebri occurrit cura, quamvis, re vera exiſtente morbo, nunquam perfecte fieri poſſe, §. 10. monſtratum jam ſit. Ex illis interea remediis, quibus cæteræ felici fere ſemper ſucceſſu profligantur

hæmor-

hæmorrhagiæ, proficuæ ac neceſſariæ ſunt venæſectiones, pulv. nitroſi, enemata, hirudines, Tinct. dulc. V. P. aut loco ejus elixirium anticachecticum *c*). Protinus inſtituenda venæſectio magna inciſione, quo largiori copia & cum impetu ſanguis proſilire poſſit. Tantum mittatur ſanguinis, quo æger carere poteſt, & fere ad animi deliquium usque. Applicandum etiam quamprimum fieri poteſt enema, ſale communi mixtum, inſimulque ſi deglutire adhuc valet æger, magna elixirii anticachectici propinanda doſis. Uſus horum remediorum, prout circumſtantiæ exigunt, ſemel vel pluries repetatur. Temporibus, aut ſi hæmorrhoidarius ægrotans, inteſtino recto adponantur hirudines; ſi vero fœmina, cui menſes ſuppreſſæ vel nimis parce fluentes, labiis vulvæ. Pulveres nitroſos, ſi ad ſtomachum penetrare poſſunt, pro ratione circumſtantiarum ſumendi. Vapor ex lacte vel aqua calidus ægro per nares immitendus, tentandumque, num per irritans qualecunque aperiri vena, ſicque in capite minui poſſit ſanguis. In conclavi ſpatioſo ac lucido commoretur æger, & ubi purus aër, in lucem vertantur oculi, erecto jaceat capite & ad neutrum lecti latus declinante. His adhibitis remediis, ſi oculos aperit & circumſpicit æger, ſi vel denique caput erigit & reſupinus ſedet, de ſanitatis redintegratione ſperari poteſt. Ad ſtabiliendam curam proſunt ex toties memoratis, Pulv. nitroſi, ſtatui ægrotantis conveniens repetitio venæſectionis, hirudinum, enematum, Tinct. Rhei V. P. omniumque remediorum tam diæteticorum quam pharmaceuticorum, quæ vires amiſſas ſenſim reſtituunt. Ad evitandas recidivas convenit uſus 6. rerum non naturalium ſemper bene ordinatus, moderamen præcipue appetitus

c) Vide Kongl. Roſe-Apotheket.

tus cibi potusque, evacuationum naturalium & excretionum ſanguinis ſuſtentatio, neque negligendæ ſanguinis imminutiones uſitatæ, venæſectione, cucurbitulis &c.

Ita jam hæmorrhagias ex plethora, quo promiſi pertractavi modo. Tenui ſi placito aſſenſu conamini adnuere voluerit benevolus lector, laboris pretium me ferre exiſtimaverim.

CLXXXII.

SUTURÆ VULNERUM

PRÆSIDE

D. D. CAR. A LINNÉ

h. t. Rectore magnifico

PRO GRADU DOCTORIS

propoſita

ab Auctore

CHRISTIANO FRN. BOECLER

Acad. Upſal. Chirurg. ord.

Upſaliæ 1772. *Jun.* 27.

---

§. I.

Quæ manu ſanat Medicina *a*), in duo ſumma diſcedit capita, quorum alterum DURIORUM; alterum MOLLIUM corporis humani partium vitia exponit ac tollit. Hæ iterum commode in TUMORES & VITIA CONNEXIONIS

---

a) Medicinæ veram eſſe partem ita probat *Celſus*: Iisdem temporibus in tres partes Medicina diducta eſt: ut una eſſet quæ victu: altera, quæ medicamentis: tertia, quæ manu mederetur. *Corn. Celſus de Medicina Præf. Libr. I. p.* 3.

NIS ſ. SOLUTIONES CONTINUI, diſpeſcuntur, quarum, quæ vi externa factæ, VULNUS, eroſione vero ULCUS vocantur. *Plures*, ob relationes diverſas, vulnerum ſunt diviſiones: Generaliſſima, eorum reſpiciens ſymptomata, in SIMPLICIA & COMPOSITA ſ. COMPLICATA; pro diverſo autem modo, quo inferuntur, in tria abeunt genera: 1. PUNCTA, 2. INCISA & INFLICTA, 3. CONTUSA *b)*. Hæc diviſio ad priorem proxime accedit *c)*. Vulnerum quatuor etiam obſervantur tempora: 1. *Hæmorrhagiæ*, 2. *Suppurationis*, 3. *Incarnationis*, 4. *Cicatricis*.

INCISA & INFLICTA, *Simplicia* ſcilicet, præ ceteris, hæmorrhagiæ tempore inprimis, ob celeriorem conſolidationem, poſcunt ſuturas. Quid in reliquis vulnerum temporibus Chirurgo ſit obſervandum, tradere jam non attinet.

Viam

---

p. 3. *edit. Almeloveen.* Ab antiquiſſimis retro temporibus fuit exercitata. Cfr. *Boerhaave ſtud. Medic. ab Illuſtr. Hallero editum* 1759. *p.* 709. *ad* 713. *a*); & opera pervolventes Medicinæ parentis *Hippocratis*, obſervamus eum Chirurgica præcepta nequaquam eſſe aſpernatum: Varia enim Chirurgiæ pertractavit capita, ex. gr. De *Vulneribus capitis*. *De Ulceribus*, *De Fiſtulis*, *De Fracturis*, *De Articulis* &c. Vide *Hippocrat. oper. omn.* Ideoque Medicinæ partes ita connexæ ſunt, ut ex toto ſeparari non poſſint: ſed ab eo nomen trahant a quo plurimum petunt. *Corn. Celſi Lib. cit. in præfat. L. V.*

b) Huc etiam nonnulli referunt VENENATA; ſed quoniam ſub prioribus qua vim illatam commode pertractari poſſunt, COMPLICATIS rectius eadem adnumero.

c) Cfr. *Nobil. Doct. & Chir. Prof. Ol. Acrel* Afhandling om friſka ſår p. 18. & 20. ſeq. Binas tantum attuli vulnerum partitiones, quoniam ſufficiunt ad oſtendendum, quænam cruentæ mollium partium ſolutiones futuris ſint adminiſtrandæ.

Viam mihi ita ſternere volui ad indicandum, cuinam vulnerum generi, quoquo tempore, per ſuturas ſit ſuccurrendum, ut penſum *de futuris vulnerum* partium humani corporis mollium *in genere* ſuſceptum abſolvam.

Benigniorem mihi, L. B. expeto cenſuram, ſi non ſatis elaboratum inveneris opuſculum, quod, diro admodum morbo virium paſſus jacturam, & nunc primum convaleſcens, incepi, & exteras jam b. c. D. petiturus terras, feſtinanti calamo perficere cogor.

§. II.

SUTURA *d)* encheireſis eſt chirurgica, qua vulneris labia, ad conſolidationem promovendam & deformitatem cicatricis cavendam, uniuntur. Artis Auctores plurimi ſuturas in *ſiccas* & *cruentas* dividunt; ſiccam nominant aliqui ſpuriam *e)*, cruentam veram. In ſimplices etiam & compoſitas a nonnullis diſtinguuntur.

Sequens vero mihi magis arridet ſuturarum partitio, quam etiam heic tradam. In duos apte diſtribuuntur ordines.

Ord.

---

d) Medelarum reſpectu, Chirurgia in duas diſtinguitur partes; *altera*, quæ medicamentis, *altera* quæ manu ægrotis fert opem; hæc iterum quæ manu ſola, vel inſtrumentis operatur.

e) Sed minus adæquate ſiccam vocant *ſpuriam*; omnino enim vera eſt, quatenus ſini obtinendo ſatisfacit.

Ord. 1. Sutura Incarnativa.
Gen. Sut. Sicca.
Gen. Sut. Cruenta.
Sp. Nodoſa.
Clavata.
Involuta.
Ord. 2. Sutura Reſtrictiva.
Gen. Enteroraphia.
Ligatura vaſorum.

§. III.

Ordo I. SUTURA INCARNATIVA.

G. SUTURA SICCA *f*), ubi, emplaſtro tenaciter adhærente, ſupra linteum vel alutam extenſo, ut inde variæ figuræ diſcindantur fruſta, vulneris adunantur labia. Alterutri vel utrique margini emplaſtri, vulneri adaptandi, veterum alii tenuiſſima ligamina, alii uncinulos *g*) inſuendo adnectebant, ut vel ligando, vel filamento fortiori uncinulos ab utraque parte leniter conſtringendo, labia vulneris, quantum neceſſe, conjungerent, atque adeo commodius vel adſtringerent vel laxarent, pro vulneris habitu.

Cum vero nodi tæniarum & ipſi uncinuli, facta conſtrictione, vulneris premerent margines, maxime ſi faſcia uniente ſuperinjicienda opus eſſet, &, ſuppurante largius vulnere, ad ſingulas innovationes, talia operoſe præparata eſſe deberent emplaſtra,

f) Improprie hæc vulneris conjungendi ratio ſutura ab auctoribus dicitur, ob uſum cum cruenta communem. Emplaſtra uſitata ſunt Empl. *Stict. Hamb. Diachyl. c. gum. Polycbr. Schytz.* &c.

g) Vid. HEISTERI Chirurg. Tab. IV. Fig. 8. 9. 10.

ſtra, tæniis aut uncinulis inſtructa: iſta jam dudum in uſu eſſe deſierunt.

Noſtro tempore, emplaſtro viſcido linteis illito, ſimplices inde forfice abſcinduntur laciniæ, pro vulneris majori minorive amplitudine *h*), vel in medio ab utraque parte ope lunatulæ *i*) incidendo redduntur anguſtiores, ut ſi plures ſimul fuerint adplicandæ, gracilior hæc pars laciniarum vulneri admoveatur, ne oblinimentis ſuppurationis prorſus impediatur effluxus, ſicque pus incluſum calore facile degeneret, quod non tantum curationem impedit, ſed vulnus hoc modo ulterius neglectum in ulcus abire facit. Hinc in vulneribus obligandis pars declivior, ob fluxum puris, libera eſt relinquenda, quod in cura vulnerum generatim quoque eſt obſervandum. Emplaſtris D. PETIT *k*) uſus eſt feneſtratis, quæ, ceteris ſæpius mutatis, remanere poſſunt; niſi largior ſuppuratio hujus quoque mutationem poſtularet *l*).

Antequam vero hæc adplicantur, aliquantum ſanguinis e vulnere recenti defluere permittat Chirurgus, ut lenior evadat inflammatio. Si juſto major fuerit hæmorrhagia, illa prius ſiſtenda, & coagula ſanguinis craſſiora, digito tantum, methodo

b) l. c. fig. 5.

i) l. c. fig. 3. 4.

k) HEIST. Chir. l. c. c. fig. 7.

l) Commendat RAVATON, *de Vulneribus ſclop. &c.* p. 506. præ ceteris Emplaſtris, linteum, cui emplaſtrum glutinoſum eſt illitum, in formam ſplenii gracilioris complicatum, ita ut emplaſtrum intus maneat, præter ultimam plicaturam, ubi latus emplaſtro illitum extrorſum vertitur & cuti admovetur. Ejusmodi ſplenia ab utraque parte vulneri adplicat & faſcia uniente hiantia ſolutarum partium labia adunat.

RAVATONIS *m)*, tollenda; *nimis enim exacta lavatio novam facile excitat hæmorrhagiam, dolorem & inflammationem insequentem, alia ut taceam incommoda. Si quæ vulneri sint illapsa heterogenea, caute quoque extrahenda. Si pili in loco adfecto fuerint, prius abradendi, ne emplastrum adhærens supervacuum ægroto in mutationibus adferat dolorem; cuti etiam pilis orbatæ melius adhærescit emplastrum. Vulneris labia exacte naturali situ sibi respondentia adducantur.*

Adhibetur hæc sutura generatim in vulneribus non admodum profundis, velut in facie, ubi, ex præscripto auctorum, hac maxime utendum, ut cum dolore evitentur cicatrices suturam cruentam insecuturæ. In profundioribus etiam, sed longitudinalibus, hæc cum spleniis graduatis & fascia uniente sufficit. Suturæ quoque cruentæ multum opitulatur suffulciendæ, ne filamenta margines discindant vulneris, unde deformes cicatrices, ut FELIX WYRTZ memorat n).

Adplicatio *o)* fit hunc in modum: postquam labia in vulneribus minoribus ab ipso Chirurgo altera manu sunt adducta, imponitur emplastri, vulneris magnitudini adæquati antea ad *turibulum p)* calé-

---

m) De Vuln. sclop. incis. & punct. vers. germ. p. 512.

n) Cfr. Chirurgia p. 46.

o) Præteriri fortassis potuerat hæc encheiresis, ut simplicissima, lippis & tonsoribus nota, sed cum Chirurgiæ scriptores suturis hanc adnumerarunt, & ad vulnera consolidanda multum adfert utilitatis, prætermittere nolui.

p) Quod ad vulnera præsertim majora & profundiora obliganda semper adesse debet, ut in mutatione fasciarum, calore aër raresiat, sicque mitius in vulnus agat. Omnis aura

calefacti, extremitas alterutra, parti vulneris averſæ primum adfigitur, quam deinde quatuor alterius manus digitis junctim expanſis, levi preſſione apprimit, ac ad cohæſionem firmiorem retinet, usque dum leniore tractione apprehendit alteram dimidiam emplaſtri partem alligaturam, pollice ſimul ejusdem manus, quæ extremitatem tenet primam affixam, alterum vulneris labium caute & adcurate adjungens priori, poſtea hanc etiam, ut dictum eſt, emplaſtri figit partem. Si vero amplius eſt vulnus, quam ut Chirurgus ipſe vulneris labia adducere poſſit, dexter requiritur adjutor, qui expanſis æquabiliter digitis, non tantum teneat alterum emplaſtri glutinantis limitem, atque leniter & adcurate ad ſe invicem comprimendo adducat labia vulneris: ſed etiam eodem modo, alteras adhærentis emplaſtri extremitates retineat; donec, quot requirit vulnus, ſint adfixa. Ad novationes deligationis idem, quamdiu neceſſium videtur Chirurgo, etiam in ſutura cruenta obſervari debet. Poſt primam adplicationem remanet vinctura, usque dum perfecte acceſſerit ſuppuratio. Quando ſunt removenda, ſpongia & aqua frigida, emplaſtrorum limina, ſuadente PLATTNERO, humectanda, levi ad cutem tractu, fines primum, verſus vulnus relaxari debent. His vero ad ſuperficiem

aura frigida vulneri admiſſa, vaſorum laceratorum adſtringit fines, liquorem alioquin depromentes, quo natura vaſorum elongationem fovet ac promovet, una cum interveniente telæ celluloſæ expanſione, quæ perperam pro novæ carnis generatione accipitur. Cfr. PALUCCI *methodus curand. fiſt. lachr. p.* 64. Docte de hac re, pro more ſuo differit *Illuſtriſſimus* VAN SWIETEN, *in Comment. in* BOERHAAVE *Aphoriſm.* 190. & hæc quoque ratio eſt, cur in amputationibus, & aliis operationibus, cuti, ſi fieri poteſt, ſollicite parcatur.

ficiem vulneris levatis, quod reſtat levi motu huc & illuc facto, demitur; dum adjutor interea, ut dixi, ſuas peragit partes. Vulneris deligatio hoc peragitur modo, quamdiu ſuppuratio durat & usque dum labia ſauciatæ partis reperiuntur coadunita. In ſanatione labii leporini ſuturam involutam alioquin uſitatam Dn. LOUIS non adhibet, ſed ſutura ſicca, & ope inſtrumenti in finem hunc inventi curationem perficit. Suturam ſiccam plane ſufficere D. FRANCO SYLVIUS exiſtimavit. Sed in obliquis & transverſalibus vulneribus, quæ muſculorum profundius penetraverunt ſubſtantiam, finem, ut ſatis conſtat experientia teſte, ſutura ſicca non adſequitur; unde ſtatim absque alio tentamine, ad cruentam confugiendum eſt ſuturam.

§. IV.

SUTURA CRUENTA, *alterum incarnativarum genus*, eſt operatio Chirurgica, qua manu experta vulneris labia acu & appropriato filo ad faciliorem celerioremque conſolidationem ſtudio adunantur. Apte huc quadrat illud GALENI:

Acia q) vulneribus commoda.
Comm. in HIPP. L. Κατ' ἰητρεῖον.

Requiruntur acus uſitatæ, diverſæ magnitudinis, magis vel minus curvæ, etiam ex rectis craſſiores & ſubtiliores, omnes optimo prædítæ mucrone, parte plana bene politæ & margines latitudine proportionata rite incidentes, ut foramen cum filo facile & cito tranſeat. *Fila* in hunc uſum adhibenda, partim ſimplicia ſunt ex ſerico vel linteo filamento, partim plura ex ſubtilioribus vel craſſioribus

q) *Acia* vocatur filum per acus foramen transjectum, quo ad invicem adducuntur oræ partis diſſectæ. *Libr. & l. c.*

ribus filamentis, quæ cerata juxta se ponuntur, ut formam latioris aut angustioris tæniæ accipiant; tandem bene cerata allidendo lævigantur *r*): & hæc pariter atque acus, pro inventa vulneris profunditate, eliguntur. Acuarium *s*), Cylindri *t*), Splenia parva, quæ nodis subjiciuntur. Observatur ante applicationem, quod pars vulnerata ita collocetur, ut relaxati sint musculi *u*), &, quantum

r) Ne putredo filamenta cito dissolvat, sed quam diutissime plana existant, (teretia enim fila facile persecant,) neque junctim tenacitatem amittant.

s) *Porte-aiguille* Gallice, jam non usurpatur, aliquantum tamen habet commoditatis, si non in digitis Chirurgi satis est roboris, ad acum per fundum profundiorum vulnerum & ad eandem distantiam, qua ab altera parte inserebatur, ab altero & adverso margine per cutem tenacem & duram, adcurate dirigendam. Hinc ejus usum approbat PLATTNER *Chir. rat.* §§. 401. 711. HEIST. *l. cit. Tab. VI. fig.* 3. & 4.

t) *Chevillet* Gallice dicuntur; parantur e ligno: pennæ anserinæ crassitie, quibus postea linteum emplastro viscido illitum superinducitur. Pennæ in casu necessitatis etiam adhiberi possunt. Meliora sunt, quæ ex tali linteo, ad eandem crassitiem arte convolvuntur, emplastro introrsum converso. Hæc vulnus non premunt, uti bacilli lignei vel pennæ, sed sese paulatim remittunt. Cylindrorum ejusmodi emendationem a DNO RAVATON factam, præ nominatis, valde probo, nempe ut foramen adsit, per quod filum trahatur, cujus deinde diffinditur extremitas, & adnectitur primum filamenti crassioris portiuncula, ne transeat nodus, deinde ansis duplicatis nectitur (en rosette); cetera, ut antea dictum. Utitur quoque breviori quodam cylindro pro quavis sutura. *L. cit. P.* 4. *Sect. I. Cap.* 2. & *Tab.* 7. *Fig. A.*

u) Si tensio Musculi dissecti admodum fortis fuerit; e. gr. in vulnere extensorum vel flexorum femoris vel brachii athletici, possumus ope adjutorum, qui manibus apprehendant vulneris margines, donec sutura sit adplicata, cui fascia unions adjicitur, illos reducere.

tum fieri poſſit, ægrotus commode jaceat: ſed ita tamen, ut Chirurgus in operando non impediatur. Ante omnia vero ſcire neceſſum eſt, ubi ſutura locum non habeat, quod ex parte conſtat ex dictis de Suturis in genere §. 2da. Sic in inciſis & inflictis complicatis ſutura non eſt adhibenda, neque in ſimplicibus, quæ cum perditione ſubſtantiæ magna ſunt conjuncta. PIBRAC & FABER *de ſanatione vulneris cum ſubſtantiæ jactura v).* Ubi magna arteria ſecta, primum illa ſubliganda eſt. Neque ubi ex Anatomia trajectus vaſorum capitalium, nervorum &c. cognoſcitur vicinus: Unde digito prudenter explorandum vulnus, ne acu malum in pejus mutetur. Ligari non debent, quæ valde ſunt inflammata, aut dudum ſuppurantia. Nec ubi os periofteo eſt nudatum *w).* Neque in vulneribus longitudinalibus, ubi ſutura ſicca cum faſcia unionte ſufficit; neque in illis, quæ penetrarunt cavitatem, ut ſanguis copioſior in illam effundatur. Obſervandum quoque, quod ſutura cruenta, non ſecundum vulneris, ſed ſecundum fibrarum directionem dirigi debeat. Neque in vulneribus pectoris, ubi ſutura vulneris labia, reſpirationis motu, facile perrumpit.

Contra in inciſis & inflictis ſimplicibus ſutura cruenta eſt adplicanda, ubi in ſubſtantiam muſculorum vulnus profunde penetravit; item ubi angulos habet aut laciniam; ſic etiam in vulnere faciei

---

v) Mémoires de l'Academ. Royal de Chirurg.

w) Adhibuit nihilominus PLATTNER ſuturam cruentam, ſed hac tamen cum cautela, quod vulneratio nuper facta erat, & aër in vulnere nullam produxerat mutationem, nec alia aderant contraindicantia *L. c.* §§. 397. 405.

ciei x), e. gr. bucca transversim secta. In labiorum vulneribus, etiam si fuerint cum deperditione substantiæ; remittere enim possunt. *vid. infr. in futur. involv.* Vulnera musculi pectoralis acia ligantur: quamvis hic pectori incubet, non tamen est respirationis musculus; heic tantum requiritur, ut brachium non moveatur. In ligando videndum est, ne nimis constringantur fila, unde dolor & inflammatio oritur. Hinc filamentum ita nectendum, ut laxari possit, donec symptomata fuerint sedata, & postea caute, quantum satis, adstringi. Etiam heic observandum, §. 3. ut loco vulneris maxime declivi, post adplicatam futuram, mollis & rara turunda lintei rasi immittitur, ne pus retineatur. Ubi adest tempus tollendi filamenta, *cfr.* RAVATON *l. c. p.* 579. nodi forfice acuminata caute abscindendi, & retrorsum versus vulnus extrahendi duos inter digitos, qui vulneri innitantur: & hoc modo unum post alterum, ut ratio vulneris permiserit, extrahendum.

§. V.

In ordine cruentarum incarnativarum §. 2. prima species est SUTURA NODOSA, interscissa, *Gall.* entrecoupée, *germ.* Knopfnath. Suturarum hæc species sæpe obvia. Quo heic profundius vulnus, eo magis curva & fortis erit acus, filoque capaci prædita. Ipsa encheiresis, quam concinne describit BERTRANDUS, sequenti instituitur modo: *Le Chirurgien pliant la première phalange du doigt index & du doigt du milieu, formera un demi-canal dans lequel il posera son aiguille comme dans un sillon,*

x) DE LA MOTTE *Chir. Tom.* 2. *obs.* 182. &c. sed in *obs.* 189. ubi in rustico ad obligandum vulnus laciniosum facici, novem faciendæ erant futuræ cruentæ.

de manière que la plus grand moitié de l'aiguille soit du coté du doigt index; il tiendra le pouce sur la partie la moins courbe de l'aiguille - - - il appuyera les deux derniers doigts sur la partie, portera son aiguille sur une des lèvres, pénétrant obliquement & peu à peu jusques dans son fond: alors il appliquera la main gauche à plat sur l'autre lèvre pour la tenir plus ferme, & fera sortir l'aiguille de l'autre côté par le fond de la solution de continuité, & à égale distance. Traité des opérations de Chirurgie p. 3. 4.

Ut fundus vulneris futura comprehendatur, necessarium est. Hujus enim rei intermissæ exempla adducit FELIX WYRTZ *L. cit.* quod nempe vulnus in superficie fuerat sanatum, & in quantum oræ ope futuræ erant coadunatæ: sed pus impedito effluxu in fundo collectum, cellulosam penetrando, sinuositates efficiebat; quæ per incuriam ulteriorem in fistulam degenerabant. Ulterius observandum, quod quo profundius sit vulnus, eo latius a margine vulneris, usque ad latitudinem pollicis, fiat acu pertusio. Hæc vero prima fit ex BERTRANDI præscripto: *Le premier point de suture doit toujours se faire à la partie la plus mobile du Muscule - - - L. cit. p.* 4. Si plures ejusmodi vulnus futuras postulat, æqualis inter illas sit distantia; in majoribus vulneribus latum pollicem & supra, in facie propiores. Omnes acus ictus SOLINGIUS primum immittit, quotquot ad consolidationem vulneris requiruntur; dein connectitur media quæ primum adplicatur *y*). PLATTNER ordinis earum nullam habet rationem, sed connectit primum, ubi oræ maxime distant L. c. §. 401. Filis adplicatis, nodus fit duplici convolutione, non super vulnus,

y) Ejusdem *manuale operatien der Chirurgie. Pars 4ta Cap.* 12.

vulnus, ſed ab alterutro latere vulneris, ſi perpendiculare fuerit: at ſi obliquum aut transverſale, a parte ſuperiori. Parvum ſplenium ſubjicitur ante primam adſtrictionem; dum filamenta adplicantur, adſtrictio fit, labia interim ab adjutore conjunguntur: tandem nodi nectuntur ſolubiliores. LEVRET z) hanc adhibet in ruptura perinæi parturientiam & eam vocat *future rectovaginale*. CORN. CELSUS a) hac ſutura vulnera abdominis ligavit: ſed cum facile elidi poſſit, clavata jam eſt in uſu. In vulneribus angulatis, ligatura in angulis primum inſtituitur.

In utroque ſatis longi fili extremo adhiberi poteſt acus, quod in *gaſtroraphia* fieri ſolet, ubi utraque illarum ligatur utrumvis vulneris latus, a fundo extrorſum. Si nodoſa ſine eliſione effectum non præſtare intelligitur, ſequens ut magis ſuſtentans adhibeatur ſutura.

SUTURA FIBULATA, clavata, pennata, Gallis enchevillée, ou enplumée; germ. Zapfennath, Incarnativæ cruentæ altera ſpecies eſt §. II. b). Hæc adhibetur in vulneribus admodum profundis c). Poſt adhibitionem diſtinditur ligamen duplicatum, (ſi plura ſuis locis trajecta fuerint, omnia ab una primum parte dividenda), biſurcationi ejus injicitur bacillus vel cylindricum linteum §. p. cui

z) Ejusdem *L'art d'accouchement. p.* 23.

a) L. VII. cap. 16.

b) DIONIS clavatam futuram rejicit; nous en ſupprimons comme trop cruelles & tout à fait inutiles &c. uti jacent verba: *Cours d'operations de Chirurgie par de la FAYE. p.* 60. 61. Sed contrariam recentium practicorum adfert ſententiam de la FAYE, in not. *a*) ad hunc locum.

c) PALFYN. *Chir.* cap. 6. RAVATON L. cit. p. 507.

cui extremitas fili nodo adnectitur replicabili. Dum fibulæ, per filamina, quæ alterum oppositum transeunt vulneris marginem, adstringuntur, labia vulneris adducuntur, postea proceditur in ceteris, uti in sutura nodosa. Si hæc sutura in abdominis perficitur vulneribus, *Gastroraphia* audit. Si vulnus cavitatem simpliciter penetravit, ligatur: sed si tubi intestinalis quædam pars simul fuerit læsa, prius consuenda est ejus vulneris apertura. Cfr. infra de enteroraphia (§. 6.). Si prolapsum omentum sit nigrum & mortificatum, in viva ligandum parte, jubent autores quidam, alii vero improbant.

Una, vel rectius duplici ab utroque fili complicati (§ 4.) extremo, acu forti & curvata, ad præscriptum GARENGEOTI de *Gastrorraph.*, applicationis maturandæ caussa. Extensis junctim digitis alterius manus elevatur margo vulneris jam ligandus, & versus apicem digiti indicis occultatur mucro acus, ne quod viscus, quando in cavitatem ingeritur, lædatur. Antequam acus ad pertusionem admovetur, dispiciendum est, ut ictus pollicis latitudine distet a margine, & simul peritoneum *d*) acu comprehendatur. Pergitur ab utraque parte ab interiore extrorsum, secundum hoc CELSI *e*): neque summæ cutis, neque interioris membranæ per se satis proficit, sed utriusque. Adhi-

d) Peritonei non quidem inter se margines consolidantur PLATTNER *L. cit.* §. 704. *) Sed illud nihilominus sutura comprehendendum est, quia cicatrici externarum vulneris partium innexum, impedit molestiam, quam intestina alioquin sua efficerent pressione, herniam nempe ventralem fere inevitabilem. RAVATONIS heic facta emendatio usitatæ suturæ præferenda. *L. cit.* p. 507. 519.

e) *L. cit. L. VII. cap.* 16.

Adhibetur etiam hæc ſutura poſt operationem Cæſaream & Herniæ ventralis.

SUTURA INVOLUTA, tertia incarn. cruent. ſpecies, etiam intorta (*Gallice entortillée*), vocatur. Acus huic rectas aliquantulum planas, auro prope mucronem incruſtatas adhibent nonnulli: alii ex alio metallo confectas & bene auratas priorum loco applicant, etiam ex chalybe: ſed ex his *f*) non raro ſecuta eſt gangræna vulneris; præterea non tam facile extrahuntur. Hæc ſuturæ ſpecies in operat. Labii Leporini veri, etiam accidentalis, uſurpatur.

Prout labium magis minusve eſt latum, duæ vel tres adhibentur acus. Quarum prima, ceſſante fluxu ſanguinis, infimo vulneris immittitur loco, ubi craſſior illa exterior pars attingit ruborem labrorum, duas vel tres lineas a margine fauciato, ita quidem, ut interiorem fere labii tangant ſuperficiem. Acubus immiſſis obducitur illa, quæ primum ingerebatur, filo primum circulariter *g*), dein flexuoſe vel decuſſatim *h*); acuum interſtitiis glutinans adplicatur emplaſtrum, utriusque acuum extremis ſupponuntur parva oleo imbuta ſpleniola, ne malis inferatur noxa, atque ut, ex præſcripto multorum auctorum, tollere non opus ſit mucrones. Hinc longioribus & brevioribus inſtructus ſit acubus Chirurgus, pro labii & vulneris indole. Si quæ ſubſtantiæ fuerit deperditio, abſterrere tamen

f) *Cfr. Orat. D. Prof. OL. ACREL* dum alterum præſidium in Regia Academia ſcientiarum deponeret, de operationibus Chirurgicis abbreviandis.

g) *JUNK. conſp. Chir.*

h) *HEIST. L. cit. T. IV. Fig.* 21. 22.

tamen nos non debet a consolidatione quærenda *i*).

Filum semper isti primum demitur acui, quæ vulneris continuit margines naso proximos, & acus simul extrahitur, non vero, ut vult GARENGEOT, per diem post evulsum filum relinquitur; cum sic semper sit difficilior extractio.

Ne mireris peculiaria quædam non adduci de sutura *k*) tendinum.

Etenim 1:mo rejiciunt multi, alii commendant; ab antiquissimis temporibus GALENUS hanc improbat ob sensibilitatem tendinum; ex recentioribus QUESNAI *l*) nullam heic necessariam esse suturam

---

i) Cfr. *Prof.* OL. ACREL *obs. Chir. p.* 23. CELSUS hoc subministrat consilium: id quod curtatum est in quadratum redigere. - - (Felici cum successu hoc secutus est monitum b. m. & dum viveret Chirurgus dexterrimus DN. HIERTZEL. Cfr. casum in *Actis Academ. Scient. Holm.* 1756. *p.* 270.) Si non satis junguntur, ultra lineas, quas ante fecimus alias duas lunatas, & ad plagam conversas immittere *L. cit. L. VII. cap.* 9. Omnia demum quæ suturam fulciunt, adhibenda, ut emplastrum glutinans, spleniola graduata, fascia uniens, quies ægroti. Nonnulli, ut GARENGEOT & ELLER hanc suturam in infantibus dissuadent: sed optimo successu usurpata fuit in infantibus decem hebdomadum, ut ROONHUYSEN in suis *obs. Chirurgicis* memorat; & Prof. O. ACREL hanc in infante novem mensium adhibuit. Cfr. *Act. Acad. Scient. Holm.* 1758. *p.* 159.

k) Acus, quæ heic adhibentur, curvæ quidem sunt, sed secantes parte concava & convexa, planæ vero ab uno latere ad alterum. Pertusio variis fit modis ab extra ad intra, ab intra ad extra, ab uno latere tendinis ad alterum. De Sutura tendin. fuse differit *HEISTER. Chir. cap.* 173.

l) *Trait. de gangr. p.* 160.

ſuturam contendit. RAVATON illam rejicit *m*) ut inutilem, doloroſam & noxiam. AVICENNA vero acia uſus eſt felici ſucceſſu, cui ELLER *n*) & BILGUER in egregio de vulneribus recentibus Libro, album addit calculum.

2:do. Quoniam heic adhibetur ſutura vel nodoſa vel clavata, cum pluribus variationibus antea pertractatis.

§. VI.

Ordo II. SUTURA RESTRICTIVA.

ENIERORAPHIA hujus ordinis primum eſt Genus. Huic adnumeratur *ſutura pellionum*, quæ jam exolevit *o*). Ejus vero locum *Anſata* in vulneratis inteſtinis obtinet. Si inteſtinum prodierit extra partium externarum vulnus, & ſimul ab eo incarceratum fuerit, ita ſuadet CELSUS: *Si anguſtius vulnus eſt, quam ut inteſtina refundantur, incidendum, donec ſatis pateat p*). Varia ad dilatandum abdominis vulnus, dum incarcerat prolapſa inteſtina, ſunt excogitata; ut ſpecillum allatum, MORANDI forſex, biſtouri Royal &c. Si in parte inferiori ventris eſt vulnus, ſurſum dilatandum, ſed in parte ſuperiori, deorſum *q*).

Si

---

m) *L. cit. p.* 502.

n) *Chirurg. p.* 371.

o) GORTER Chir. repurg. §. 1215.

p) *L. cit. L. vij. cap.* 16.

q) *Chir. repurg.* §. 1246. Ulterius de hac re vide *Bertrandi Traité des operat. Chirurgie p.* 10. Peritoneo in dilatationibus parcendum monet *Eller Chir. p.* 264. Si fibilus in vulnere abdominis penetrati auditur, inteſtinum

Si inteſtinum inſtrumento ſecante ſine ſubſtantiæ deperditione fuerit vulneratum, ſutura obtinet anſata: quomodo collocari ægrotus debeat Celſus docet *r*). Margines inteſtini adcurate ad ſe invicem junguntur, atque ab altera parte tenentur molli linteo inter pollicem & indicem; Chirurgus eodem modo alteram tenet: ſutura fit alterutra manu, prout commodum fuerit; acus heic recta, mucrone triſido ſit inſtructa, filum ſimplex ſericeum, æquabile, ceratum, longum.

Pertuſio ſit integra a margine linea, & inter ſingulos ictus tres erunt lineæ. Anſæ, quæ non, ut in ſutura pellionum, adſtringuntur, ſed adeo laxæ reliquuntur, ut manus commode tranſire poſſit, ſuſtinentur ab adjutore, donec factæ ſunt pertuſiones. Forfice in medio diſcinduntur anſæ & leniter contorquentur extrema, quæ extra vulnus, quantum ſufficit, pertingere debent, emplaſtro figuntur. Commodius eſt pro quavis pertuſione, ſingularem habere acum & filum adeo longum, ut peracta ſutura, in cavitatem non illabantur. Præſtantia hujus methodi præ altera eſt manifeſta. Filum enim una acu contentum, ea longitudine, quæ ad plures ſufficiat anſas ampliores, incommode omnino tractatur, & præterea vulnus acu pertuſum ex pertractione longi fili violentam patitur alisionem. Sexto plerumque nyctemero eximi poſſunt filamenta, ſive cum ægrotus levem inteſtini ſentit titillationem. Quando evolvuntur fila, ſollicite cavendum, ne plus quam unicum ſimul accipiatur

ſtinum læſum eſt, ſi ſimul chymus aut feces effluunt, tanto hoc certius. *Bilguer. L. cit. p.* 777. Inter ſigna etiam inteſtini læſi eſt, ſi prolapſum flaccefcit & contrahitur.

r) *l. c.*

piatur filamentum. Si enim duo ſumuntur, fieri poteſt, ut unius ſuturæ fila apprehendantur, quo facto infirma adhuc conſolidatio inteſtini ad vulnus externum multum pateretur detrimenti. Filamentum etiam inter indicem & pollicem, qui vulneri innituntur, leviter extrahendum.

Inteſtini plane abſciſſi & per ſuturam feliciter curati, exempla proſtant. Ulyſſiponi, inteſtinum Ileon, cujusdam, cultro abſciſſum, ſutura interrupta feliciter ſanatum *s)*. RAMSDOHR ſuperiorem partem inferiori immittit *t)*. BILGUER *u)* idem ad digitum latum fecit & quatuor Nodoſis ligaturis ſanavit, ſed ita tamen, ut canalis non obturaretur *v)*.

Partem inteſtinorum ſphacelo correptorum fuiſſe abſciſſam, & ſuperiorem inteſtini extremitatem vulneri exteriori alligatam & per modum ani artificialis ſanatam, evincunt exempla.

Si omentum ex vulnere propendeat ſphacelo correptum, prominens amputanda eſt pars, ligatura *w)* in

---

s) *Philoſoph. Tranſ. vol.* 50. *P. I.* 1757.

t) *Memoire de l'Academ. R. de Chir.*

u) *L. c. p.* 783.

v) Ad inteſtinorum immiſſionem obſervari meretur, quod raro hæc ſuccedat. Coarctatur enim canalis, unde non leve ægroto naſcitur periculum, ex. gr. ubi flatus, & quæ ſunt reliqua, moleſtiam creant. In inteſtinis tenuioribus, tentari hæc potius poſſet, quam in craſſis. Methodus Cl. PERONIER inferendi extremitates inteſtini cylindro e chartula luſoria confecto, commendatur.

w) Omenti ligaturam ichoroſam ſecum habere ſuppurationem, VOGEL teſtatur. *Abhandlung von Brüchen p.* 198. *& ſeqq.*

in viva parte facta x); ſed diſſuadet PIPELET, ob uſum omenti, quod expanſum jacere debet. Idem ſola vaſa ligare jubet; ceterum amputatur omentum.

§. VII.

Quando impetu ſanguinem fundit ſauciata arteria, ad ligaturam confugiendum, quæ *alteram* conſtituit RESTRICTIVARUM *ſpeciem.*

Uſitatæ ad hanc *inſerviunt acus plus minus* curvæ, filo latiore aut tenuiore, ut in *futuris incarnativis*. Si magnæ vulneratæ ſunt arteriæ, *torcular* omnium primo adhibetur, & poſtea fit ligatura. Minores autem arteriarum rami non ſunt ſubligandi, utpote quibus *linteum* raſum ſiccum ſatisfacit. Ubi oſſa ſubjacent, velut in arteria temporali &c. compreſſio adhibenda.

Ubi vaſa admodum ſunt rigida, aut cartilaginoſa y), inanis eſt ligatura. Nec procedit ligatio, ubi vaſa fragilia z) ſunt; nam hæc facile pertranſit & ſanguis denuo erumpit, atque hæmorrhagias

---

x) POUTEAU *Obſerv. variæ*, 162.

y) D. *Theden* in tympanario, femore amputato, arteriam inveniebat oſſeam, cui optimo cum ſucceſſu turundam intruſit.

z) Si partes putredine ita ſunt corruptæ, & ligatura vaſculum non retinet, Spongia Quercina, cujus uſum reduxit BROSSARD, ſiſtitur ſanguis. Suo damno, inſufficientiam ligaturæ, talibus in caſibus, ſeſe expertum eſſe fatetur WARNER *caſus in Surgery &c.* De ſpongia quercina *Prof. O. Acrel in Act. litt. Scient. Holm.* 1755. etiam in *obſerv. Chirurg. p.* 331. plurimas adduxit obſervationes, *ibidem p.* 109. 110. uſum ſpongiæ ceratæ docet, & quomodo adhibenda, exponit.

rhagias ſæpe efficit lethales. Nec ubi ſpasmi accedunt *a)*.

PARÆUS, & ante eum multi ad ligandas arterias adhibuerunt forcipem *b)*, in apice tenuiorem aut *latiorem*, in hunc finem factum, & multum muſculoſi ſimul in ligaturam adſumſerunt: ſed hanc vaſa ſubligandi rationem inanem GOURMALIN cenſebat, unde multa hos inter orta eſt controverſia. BROMFIELDT & alii Chirurgi Angli forcipem cum ſucceſſu adhibuerunt. WHITE majora tantum vaſa, BROMFIELDI methodo, ligat. THEDEN in *obſervat.* ſuis uſum forcipis arteriæ prorſus

a) Poſt amputationem brachii in Noſodochio Wiennenſi obſervavit Dn. FLEURANT, ægrotum ſtatim poſt peractam ligaturam, queſtum eſſe dolorem intolerabilem, qui per horulæ ſpatium ita excrevit, ut vehementiſſimæ ſequerentur convulſiones: coactus igitur ligaturam forſice diſcindere, non ſine admiratione vidit nullum prodire ſanguinem. Explicat hoc phænomenon POUTEAU in ſuis *obſerv.* & aliter *van SWIETEN* in *Commentat. in BOERHAAVE aphor.* 218. ubi oſtendit arterias poſt ligaturam connivere. THEDEN in ſuis *Obſervat.* narrat virum per totam vitam factum epilepticum, ex ligatura arteriæ ſpermaticæ cum nervo. Plures vidit convulſionibus correptos. HEUERMAN *operat. Chirurg.* in ejusmodi caſu, nunquam inſtituendam eſſe dicit ligaturam, ob nervum ab arteria diſcernendi & ſeparandi difficultatem. WHITE igitur Warneri ſequitur conſilium, & primum arteriam ſperm. inter digitos terit & deinde molli carpto *tegit linteo*. Non ligaturam nervi ſolam eſſe cauſam POUTEAU credit, ſed etiam tenſionem partium in ligatura ſimul comprehenſarum multum conferre, haud ex vano judicat. SAUVAGESIUS in cauſas trismi traumatici ita differit: *nec non a brachio aut pede amputato, cum nervi a ligatura ſunt conſtricti.* ejusd. *Noſolog. Method. Tom.* 2. *Pars* 2. *p.* 14.

b) Varias habet HILDANUS, talium forcipum figuras; Cfr. *Obſervat. de gangr. & Sphacelo Cap.* 19.

fus damnat. Poſtquam enim in amputatione vidit, arteriam ſe retrahentem & ſanguinis fluxum ceſſantem, nullam ligavit inde arteriam. Præterea, ubi arteria non ſatis profunde apprehenditur, inopinato ligatura vacillare poteſt. Nec nimis arcte conſtringenda eſt ligatura; alias enim ſeparatur, antequam connivere potuit arteria. Hinc contendit POUTEAU *c*), arteriam ſaltem ſex lineas ab apertura eſſe ligandam, ubi ſuppuratio certe ligaturam non efficit fallacem. Addit FLEURANT: quo latior ligatura, eo melior; ſed LOUIS ligaturam ſic juſto diutius remanere obſervavit *d*).

---

c) *In obſervat. var. p.* 279. 316.

d) *Journal. Medic. par Roux* T. XXXII.

CLXXXIII.

CLXXXIII.

MEDICAMENTA PURGANTIA

QUAE

PRÆSIDE

D. D. CAR. A LINNÉ

PRO GRADU DOCTORIS

propoſuit

JOHANNES ROTHERAM

Anglus.

Upſaliæ 1775. *Nov.* 22.

EVACUANTIA ea Medici dicere ſolent Medicamenta, quæ interne aſſumta, e Vaſis continentibus contenta evacuant.

Vis illa vitæ, quam *Naturam* etiam nuncupamus, *ipſa optime ſentit*, quæ ſibi ſalutaria ſunt, quæque noxia; atque hæc, peculiari quadam proprietate, *ſeligit ſeparatque* per *Odorem* & *Saporem*, quod non in homine tantum, verum in omnibus etiam ceteris animantibus obtinet *).

*) Ab hoc Canone eximenda putamus quæ ad Regnum pertinent Lapideum, cum nihil horum corpus humanum ingredi debeat.

Natura hæc ad omnia, quæ commoda ſunt humano corpori & quæ grata dicimus, ſeſe quaſi pandit; contra vero ab iis ſeſe retrahit, quæ incommoda ſunt & quæ ingrata vocamus.

Motus in Corpore animali omnes a nervis oriuntur, teſtantibus ex ipſa ratione Phyſiologis: Per illos inſuper motus, quam ſæpiſſime, exiſtunt involuntarii.

Cum Evacuantia Motum producant, ſequitur ut in nervos tantum agant: adeoque ab Olidis motus iſte excitatur; Sapida enim in nervos nihil agere exiſtimamus.

Olida vel *ſuaveolentia* ſunt vel *graveolentia*; *graveolentia* autem Natura reſpuit, nec tolerare poteſt; his igitur aſſociari debent Evacuantia.

Graveolentia numerantur varia, ſcilicet *Hircoſa*, *Nidoroſa*, *Tetra*, *Nauſeoſa* & *Viroſa*; ſed, quod ſingulare atque maxime mirandum, ex iſtis ſola *Nauſeoſa* aſſumta evacuationes cient excitantque. Pimpinella enim, Linaria, Geranium Robertianum, quæ *Hircoſa* ſunt, minime evacuant; nec *Nidoroſa*, ut Humulus, Abſinthium, nec *Tetra*, ut Papaver, Opium, Scrophularia; multo minus *Viroſa*, ut Datura, Hyoſcyamus.

Quando natura alicujus rei, nimis diu in corpore retentæ, exitum molitur; hoc ope Convulſionis cujusdam peragit: Sic, Abceſſum maturum jamque rumpendum Natura ſuo indicat conamine ſive horrore; ſic, ubi Menſtrua propellenda, aut Urina, diutius retenta, excernenda, horrorem Natura excitat; ſic ultimum certe Naturæ conamen convulſio erit, cum ipſe horror levis ejusdem gradus eſſe videatur: Hinc patet, omnia, quæ

corpus

corpus evacuant, medicamenta, Convulsiva esse, prout Dosis major aut minor fuerit.

Medici Medicamenta omnia, quæ ferre Natura non potest, & quæ horrore quodam convulsivo summopere aversatur, magno sane labore conquisiverunt; nec alia in tota Materia medica vegetabilia novimus, quæ hujusmodi vim habent evacuandi, nisi quæ sunt *Nauseosa*. Quid autem ista sint nauseosa, definire aut verbis exprimere non magis valemus, quam quid sint salsa, acida, dulcia. Quicquid enim per sensus immediate percipimus, definire, nullum valet ingenium humanum.

In hac quidem familia nonnulla habemus evacuantia vix odora, qualis est *Cassia fistula*; sed si arborem, unde medicamentum istud producitur, accuratiori subjicimus examini, eam nequaquam differre videmus, sed omnia habere communia cum reliquis *Cassiæ* speciebus; quarum una *Senna* numeratur, planta sane nauseosissima, adeoque aliquid continens nervis inimicum Naturæque intolerabile: similiter res se habet cum *Tamarindis*, quarum vim evacuandi minime dignoscere possumus ex odore; si vero arborem respicimus (*Cassiæ* adeo affinem, ut limites inter illas vix admitterentur, nisi Botanici ob Stamina tria cogerentur diversum constituere genus) eam, sicut *Cassiam fistulam*, nauseosam admodum observamus, cujus qualitatis partem certe nonnullam fructui suo impertitur.

Hæc evacuantia vel ventriculum evacuant, ut *Vomitoria*; vel Tubum intestinalem, ut *purgantia, proprie sic dicta;* vel Massam sanguineam, ut *Diaphoretica* & *Diuretica;* vel Uterum, ut *Emmenagoga;* vel Glandulas salivales, ut *Sialagoga;* vel sinum frontalem, ut *Sternutatoria.*

Ad operationes horum ulterius illuſtrandas medicamentorum, exemplum ſit *Aſarum*, cujus radix, ſi in pulverem ſubtiliſſimum redigatur, ut citatiſſime in Ventriculo ſolvatur & vim ſuam exſerat, Vomitorium fit, ſi pulvis groſſior ſit, tubum inteſtinalem, alvum ſolvendo, evacuat; ſi radix coquatur *), & in forma liquida propinetur, maſſam intrat ſanguineam; quo caſu vel Diaphoreticum evadit vel Diureticum, prout corpus ægroti calidum fuerit aut frigidum: ſi enim juſto calore corpus foveatur, *Diaphoreticum erit; ſin minus* Diureticum. *Fruſtra autem uſus vel diaphoreticus vel diureticus inde exſpectatur, niſi forma propinetur* liquida, ut maſſam intret ſanguineam. Ut Emmenagogum denique evadat, motus ſimul ambulatorius adeſſe debet. Videmus inſuper, pulverem hujus radicis vel foliorum naribus exceptum, ſternutationem cauſſando, ſinum evacuare frontalem.

Evacuantium primariorum ſeu, quæ ipſum evacuant tubum inteſtinalem, duplex eſt munus. Prius eſt evacuatio ipſius tubi inteſtinalis, in quo generatur Saburra, corpori maligna, ne per hanc, Diæta ſeu ingeſtis aliquo modo auctam, excitentur morbi, acido, viſcido aut alii cuicunque vitio debentes originem. Alterum eſt ut eliminentur noxia & ſuperflua e corpore ſeu e maſſa ſanguinea; nam Natura, optima medicatrix, mala avertere ipſa adnititur, idque facilius, ſi arte adjuvatur, efficit &, qua data porta, incongrua iſta felicius exterminat. Sic *Hæmorrhagia narium* avertitur venæſectione; nam Natura liberius per ſectam venam educit ſanguinem, & in naribus, qua nolumus, deſinit

*) Verbo monendum, evacuantia diutius cocta, cum eorum vis in Olido volatili conſiſtat, vim ſuam paulatim ammittere & debilitari.

finit fluere, alio dato itinere: Similiter *Podagra retrograda* ad pedes revocatur, applicato epiſpaſtico; Natura enim ad locum affectum materiam deducere ſudet morboſam. Simili modo, per excretiones alvi excitatas, maligna, quæ maſſæ inhærent ſanguineæ, expellere Natura ſatagit; ſicque non ſolum noxia tubi inteſtinalis contenta, ſed etiam quodcunque in ſanguine fuerit vitioſum, eliminat; data enim per alvum porta, eo, quæ ſibi repugnant, Natura extrudit.

Medicis olim purgantia propinare difficillimum fuit: nondum enim medicamenta fortiora detecta erant, nec eorum Doſes crebris obſervationibus accurate ſatis determinatæ: Nos vero in feliciore nunc vivimus ævo, dum Officinæ noſtræ talibus abundant Medicamentis, ex omnibus fere totius orbis regionibus adductis, quæ haud exiguam jam Materiæ medicæ conſtituunt partem.

Hæc illuſtraturi, alteram qualitatem, quam omnia habent evacuantia, nempe Sapidam, intento obſervare debemus animo, idque non tam ut vim ejus purgandi exploremus, quam ut quaſi una fidelia duos dealbemus parietes, vel ne noceamus, in morbo propoſito, corpori purgando.

Veteres purgantia ſecundum ſua principia diviſerunt, nempe ſecundum humores, qui corpori humano inſunt, & evacuari debent. Hinc Medicamenta, quæ bilem evacuabant, *Cholagoga* vocabant; quæ pituitam, *Phlegmagoga*; quæ aquas, *Hydragoga*; quæ acidum, *Melanagoga*; quæ denique omnes quatuor humores ſimul evacuare credebantur, *Panchymagoga*. Cum autem hujusmodi purgantia, qua maximam partem, ſint imaginaria; nos diverſas purgantium ſpecies ex ſapore diſcernimus,

&, pro Cholagogis, *Amara* ſubſtituimus; pro Phlegmagogis, *Acria;* pro Melanagogis, *Acida;* & pro Hydragogis, *Stiptica; Dulcia* denique addimus, infantibus inſervitura & teneris, quibus, ob ingratum ſaporem, alia obtrudere tam facile non poſſumus.

Noſtro quoque tempore purgantia in *Draſtica, Eccoprotica* & *Purgantia proprie ſic dicta* diſtinguimus. Locum quidem rariſſimum habent *Draſtica*, morbis tantum *difficillimis*, ut mentalibus, quietalibus & motoriis *convulſivis*, ubi ſola heroica valent, uſurpanda, & quidem ſuſpenſa manu atque a peritiſſimis artis magiſtris; *medicamentum enim heroicum*, ut canon habet, *in manu imperiti velut gladius eſt in manu furioſi.* Ejusmodi ſunt præcipue *Veratrum, Colocynthis, Elaterium.*

Eccoprotica ſeu laxantia ſunt omnium purgantium leniſſima, infantibus recens natis, puerperis & maxime debilibus, qui duriora ægre ferunt, optime inſervientia. Qualia ſunt *Polypodium, Mechoacanna, Pruna, Agaricus, Tamarindi, Manna.*

Purgantia proprie ſic dicta, hoc tempore, omnium ſunt numeroſiſſima; ſed non omnia æque certe ac prompte agunt, nonnulla etiam dubia videntur; qualia ſunt *Cyclamen, Soldanella, Gratiola,* quæ propinari debent viridia & fere vegetantia, ut vim ſuam exſerant, quod etiam obſervandum eſt de *Polypodio* inter *Eccoprotica.*

Cum autem purgantia frequentiſſima ſint Medicorum arma, ſiquidem raro morbus occurrit, in quo hæc haud uſurpantur; Medicum omnino his optime inſtructum eſſe oportet, ſi proſpere morbos debellare velit.

I. AMA-

I. AMARA.

I. SENNA.

CASSIA (*Senna*) foliis ſejugis, ſubovatis, petiolis eglandulatis. *Linn. Syſt. Nat. ed.* 13. *p.* 327.

Planta, quæ in officinis noſtris proſtat, communiter ex *Ægypto* adfertur, ubi ſponte creſcit.

Hujus plures habemus varietates, foliis nempe latioribus ſeu obtuſioribus; aliis vero præſtat *Senna Alexandrina* foliis acutioribus. Planta eſt annua, creſcens fere ut *Cannabis* & in Europa ſeptentrionali ſata vix provenit, multo niſi ſtudio.

Folia officinalia ſunt, rarius etiam proſtant *Siliquæ*, quas Pharmacopolæ folliculos vocant.

Purgans eſt mitiſſimum & ſane tutiſſimum, quare etiam Euporiſton vulgo eſt, qui foliorum ſemiunciam, in petia ligatam coquere ſolet cum paſſulis aut prunis. Coctione autem valde debilitatur vis ejus, quamobrem infuſum longe præſtat.

Doſis *Foliorum* in ſubſtantia, ut dicunt, ſeu pulvere, in qua forma raro adhibetur, haud ſuperare debet ſeſquidrachmam: In infuſo tuto propinari poteſt ad quantitatem ſemiunciæ, purgans ſane præſtantiſſimum: *Extracti* doſis ſcrupuli ſunt duo, quod etiam rarius uſurpatur, ob tormina, quæ excitat, peſſima. Sæpius medici *Folia ſine ſtipitibus* (i. e. petiolis) præſcribunt, cum ex his tormina excitari credantur.

Galli e Marylandia *Scrophulariam* attulerunt, cujus folia, infuſo *Sennæ* addita, vim ejus infringunt, ne tormina excitet temporaria: idem vero obti-

obtinetur, addito aromatico aliquo vel etiam ſufficiente liquidi quantitate.

II. ALOË.

ALOË *(perfoliata)* floribus pedunculatis cernuis corymboſis ſubcylindricis. *Linn. Spec. Plant.* 457.

Aloë foliis ſpinoſis confertis dentatis vaginantibus maculatis. *Linn. Mat. Med.* 160.

Planta eſt ſucculenta a *Capite bonæ ſpei*, ubi ſponte provenit & innumeris modis variat, nobis adducta: In utraque India etiam ſeritur.

Succus hujus plantæ inſpiſſatus in officinis noſtris proſtat, ſub nomine *Aloë*, quæ hac paratur methodo: Folia a Caule abſcinduntur & vaſi ligneo verticaliter imponuntur, parte, quæ reſecta eſt, deorſum ſpectante, ut liquor inde exſtillet. Hic in patina ad ſolem, donec debitam acquirat conſiſtentiam, exſiccatur; & *Aloë Succotrina* Pharmacopolis vocatur. Si vero folia conſcindantur & ſuccus inde expreſſus inſpiſſetur *Aloë Hepatica* ſeu *Cabballina* dicitur, quæ groſſior eſt minusque uſui medico apta.

Aloë ſuccotrina purgans eſt præſtantiſſimum, quæ ob ingratum ſuum ſaporem, ſcilicet amariſſimum, in forma pilularum plerumque præſcribitur.

Doſis ejus maxima ſcrupuli ſunt duo; atque interne hæc ſemper fere uſurpatur, externe vero *Cabballinæ* frequentior uſus eſt. *Extracti* autem doſis haud ſuperare debet ſemiſcrupulum.

Duabus ex partibus componitur *Aloë*, *reſinoſa* nempe & *gummoſa*. Pars reſinoſa ſanguinem magis

gis exagitat & calefacit; Hæmorrhoides & Menſtrua inſigniter pellit; & ſane præ alio quocunque purgante. Gummoſa tamen pars præſtantius purgans eſt, quam vulgo *Aloëm lotam* vocant; unde habemus pilulas purgantes *Frankfortanas* & *Stahlianas*, & apud Suecos, *Stobeanas Boekmanianiasque*, ut alias taceam formulas laudatas.

Vis eius, utpote *Amara*, *Stomachica* eſt, optime inſerviens Viſcerum obſtipationibus, Hypochondriaſi; acidum infringendo: Contra Vermes etiam quam ſæpiſſime fauſto adhibetur ſucceſſu.

Externe Aloë applicata egregium eſt vulnerarium, & Balſamicum, cui uſui *Tinctura* optimum præſtat effectum.

III. BRYONIA.

BRYONIA *(alba)* foliis palmatis, utrinque calloſoſcabris. *Linn. Mat. Med.* 448.

Planta hæc per totam fere *Europam* ſpontanea creſcit ad ſepimenta.

Radix in officinis proſtat, cujus Doſis ad maximum eſt Drachma, raro in ſubſtantia propinatur, ſed potius in forma decocti: *Extracti* Doſis communiter ſcrupuli ſunt duo, quod plerumque in pilulis præſcribitur: *Fæculæ* nunquam fere adhibentur, cum inertes ſint. In Morbis Hydropicis & Convulſivis aliquando uſurpatur, ſed tamen minus in uſu frequenti eſt apud Medicos.

IV. COLOCYNTHIS.

CUCUMIS *(Colocynthis)* foliis multifidis, pomis globoſis glabris. *Linn. Syſt. Nat. ed.* 13. *p.* 728.

E Regionibus orientalibus, præsertim ex *Alepo*, nobis adfertur hæc planta, & quamvis sit perennis, in Hortis nostris Europæis difficile provenit, fructusque nunquam fere fert:

Poma ex hac in Pharmacopoliis habemus, quorum *Pulpa*, seminibus exemtis, amarissima est.

Medicamenti hujus drastici & violentissimi usus magis apud antiquiores Medicos, scilicet *Hippocratem*, *Galenum*, *Dioscoridem* valuit, quam apud recentiores: In Morbis autem contumaciſſimis, & præsertim in Nervorum chronicis, Viscerumque obstipationibus, præstantissimum est purgans: *Duro nodo durus adhibendus cuneus.* Si vero ex ejus usu Hypocatharsis aut Tormina dolorifica supervenerint, quod quam sæpissime accidit, copioso *olei* potu hæc tolluntur. Adeo vehemens est purgans, ut *Pulpa* cum felle bovina commixta & regioni umbilicali impositа strenue purget. *Colocynthis* in quacunque forma, gravidis nunquam præscribenda est, cum abortum causare quam facillime possit.

Pulpa minus usurpatur, nisi, in petia ligata, vino sit infusa, cujus Dosis nequaquam superare debet grana sex. *Extractum*, quod commodius quidem, nec tam violenter operatur, adhibere tuto possumus, ad quantitatem granorum sex seu decem, in forma pilularum. *Resinæ* vix ultra grana quinque propinari debent.

Ob effectum violentissimum, medicos cautiores esse oportet in præscribendo hoc medicamento; quod etiam dici potest de sequenti.

V. ELA-

V. ELATERIUM.

MOMORDICA (*Elaterium*) pomis hiſpidis, cirrhis nullis. *Linn. Syſt. Nat. ed.* 13. *p.* 725.

Planta eſt cucurbitacea Colocynthidique valde affinis, adeoque aliquid nervis inimicum continens; annua inſuper eſt, ſterquiliniisque ſata optime provenit, fructusque fert.

Ex hac in officinis proſtant *Cucumeris aſinini Radix*, *Extractum Elaterii* atque *Reſina*.

Radix raro uſurpatur, annua enim eſt, nec vim purgandi inſignem poſſidet. *Extractum* vero & *Reſina* excellentiſſima ſunt purgantia, modo caute adhibeantur.

Extractum præparandi modus hic eſt. Fructus maturus minutim diſſecatur, & ſuccus per ſetaceum exprimitur, qui, intactus per horas nonnullas, ut particulæ craſſiores ſubſidant, ſtare debet; deinde pars tenuis decantatur, craſſior autem pars ſupra pannum linteum exſiccatur, quæ *Extractum Elaterii* vel *Elaterium viride* dicitur; hujusque doſis maxima ſcrupulus eſt. *Reſina* obtinetur ſcarificando fructum maturum, ut ſuccus emanet, qui ſole exſiccatur & in officinis ſervatur ſub nomine *Reſinæ Elaterii* ſeu *Elaterii albi*, hujus autem quæ Extracto longe fortior eſt, vix ultra grana duo vel tria adhibenda ſunt.

Heroicum hoc eſt Medicamentum, cautius tamen ſuſpenſaque propinandum manu, nec niſi urgente neceſſitate & aliis immixtum.

VI. SPI-

VI. SPINA CERVI.

RHAMNUS *(Catharticus)* ſpinis terminalibus, floribus quadrifidis dioicis, foliis ovatis, caule erecto. *Linn. Syſt. Nat. ed.* 13. *p.* 194.

In Nemoribus *Europæ* ſponte creſcit.

Baccæ maturæ in uſu ſunt, e quibus paratur Syrupus, *Syrupus domeſticus* dictus, nauſeoſus admodum.

Contra Vermes, Arthritidem & Syphilitidem adhibetur, ad quantitatem unius unciæ.

Baccæ ſiccæ raro uſurpantur, neque Decoctum. Cortex, qui tinctorius eſt, etiam purgat, ſed rariſſime præſcribitur.

Famoſus ille pulvis purgans, *Pulvis d'Ailliaud* dictus, paratur e Baccis immaturis toſtis, addito Sachari aliquantulo.

VII. FRANGULA.

RHAMNUS *(Frangula)* inermis, floribus monogynis hermaphroditis, foliis integerrimis. *Linn. Syſt. Nat. ed.* 13. *p.* 195.

Frutex indigenus *Sueciæ*, frequens in lucis & pratis humidioribus.

Corticem in officinis habemus, qui propinatur, ad quantitatem ſemiunciæ & ultra, in decocto.

Uſus minus apud medicos, quam apud ruſticos, frequens eſt. Egregie tamen purgat & tutiſſime, absque ſingulari cautione adhiberi poteſt.

VIII.

VIII. GRATIOLA.

GRATIOLA (*officinalis*) foliis lanceolatis, floribus pedunculatis. *Linn. Syst. Nat. ed.* 13. *p.* 60.

Planta est perennis; in *Europa* australi crescens, &, quamvis ad Sueciam non pertingat, facillime tamen in hortis hospitatur.

Herba recens egregie purgat, sicca parum; si autem diutius servetur, vim suam purgandi omnino amittit. Vomitum, loco alvum solvendi, quam sepissime causat, quare minus usurpari solet. Plerumque adhibetur in forma Decocti vel aquosi vel vinosi; vel, si vomitum evitare velimus, seri lactis: sed communiter tanquam enema usurpatur.

Dosis *Herbæ recentis* duæ sunt drachmæ; *siccæ* autem una sufficit: *Extractum* ad quantitatem unius drachmæ tuto propinare possumus.

II. ACRIA.

IX. SCAMMONIUM.

CONVOLVULUS (*Scammonia*) foliis sagittatis postice truncatis, pedunculis teretibus subtrifloris. *Linn. Spec. Plant.* 218.

Planta est perennis, nobis adfertur a *Smyrna*, *Aleppo*, reliquisque regionibus orientalibus: Tantam habet affinitatem cum *Convolvulo sepium*, ut difficile ab illo distinguatur: Lacteſcens est & purgans, sicut omnes fere Convolvuli species.

Scammonium officinarum succus est hujus plantæ e radice extractus, & obtinetur hoc modo:

Caput radicis denudatum abſcinditur, relicta in humo reliqua radicis parte vegetante, ut ſuccus lacteus inde exſtillet, qui, ſole exſiccatus, *Scammonium* vocatur. Hoc omnino gummoſum eſt, nam in aqua totum ſolvitur.

Doſis *Scammonii crudi* grana ſunt ſex; *Reſinæ*, quæ Magiſterium eſt, ſemiſcrupulus; & *Diagrydii*, quod nihil aliud eſt niſi Scammonium crudum fumo ſulphuris imprægnatum, etiam ſemiſcrupulus.

Hoc medicamentum, cum omnibus ſuis præparatis, plerumque tanquam calcar aliis purgantibus additur & rariſſime per ſe præſcribitur.

Ex hoc famoſus ille & præſtantiſſimus pulvis purgans paratur, *Pulvis Comitis Warwicenſis* ſic dictus, qui vulgo etiam *Pulvis Cornachinus* vocatur.

X. TURPETHUM.

CONVOLVULUS (*Turpethum*) foliis quadratis angulatis, caule membranaceo-quadrangulari, pedunculis multifloris. *Linn. Syſt. Nat. ed.* 13. *p.* 169.

Exotica hæc planta naſcitur in *Zeylona* & *Malabaria*.

Radix in officinis proſtat, quæ potius caulis dicenda; intus quadrilocularis eſt. Exolevit fere in Medicina, nam tarde purgat, & ventriculo nocet, teſte *Johnſtono*.

XI. SOLDANELLA.

CONVOLVULUS (*Soldanella*) foliis reniformibus, pedunculis unifloris. *Linn. Spec. Plant.* 226.

Naſci-

Naſcitur in littoribus *Europæ* auſtralioris, *Belgii* &c.

Herba in officinis proſtat, ſed fere exolevit, cum recens in acetariis edatur & ſiccata incertis gaudeat viribus.

XII. JALAPA.

CONVOLVULUS (*Jalapa*) caule volubili, foliis difformibus cordatis angulatis oblongis lanceolatisque, pedunculis unifloris. *Linn. Mant. p.* 48.

MIRABILIS (*dichotoma*) floribus ſolitariis axillaribus erectis ſeſſilibus. *Linn. Syſt. Nat. ed.* 13. *p.* 182.

Plantæ Radix ex *America* auſtrali nobis adfertur.

Dubium etiamnum eſt, an *Convolvuli* an *Mirabilis* radix genuina ſit *Jalapa* officinarum. Mirabilem ſtatuit *Plumier*, qui ter Americam Botanices cauſa adiit, nec quidem repugnat radicis facies: Convolvulum autem volunt *Sloane* & *Houſton* noſtrates, qui radicem hujus, ſub nomine *Jalapæ*, Pharmacopolis Londinenſibus vendiderunt: ſed in hortos Botanicorum nondum introducta eſt hæc planta: *Mirabilis* autem *dichotoma* in hortis facillime alitur & provenit, ſicut *Mirabilis longiflora*, (*Syſt. Nat. ed.* 13. *p.* 182.) cujus radix major eſt & propius accedit, quoad faciem externam, ad radicem *Jalapæ* officinarum: Optimus etiam Botanicus *Bernh. de Juſſieu* hanc genuinam eſſe judicavit Jalapam.

Radix Jalapæ ſine moleſtia purgat & frequentiſſimum eſt purgans. Doſis pulveris eſt ſemidrachma. *Reſina* communiter aliis additur purgantibus tanquam calcar; & vix Pilulæ proſtant in officinis

purgantes, quas hæc non ingreditur. Extractum componitur ex parte reſinoſa & gummoſa ſimul, ſed raro uſurpatur.

XIII. IPECACUANHA.

VIOLA (*Ipecacuanha*) foliis ovalibus margine ſubtusque piloſis. *Linn. Syſt. Nat. ed.* 13. *p.* 669.

Radix eſt exotica, & in Hortos noſtros Europæos nondum introducta.

Radix officinalis eſt, & a variis Violæ Speciebus aliquando deſumitur; res tamen eſt haud magni momenti, quoniam plures habemus Violas americanas eadem gaudentes qualitate.

Ad Vomitum ciendum præcipue uſurpatur, non nihil etiam alvum ducit. Doſis ad Vomitum excitandum a granis ſex ad ſcrupulum numeratur: ſed in refracta doſi contra Leucorrhæam valet, & in Hæmorrhagia uteri maxime laudata eſt a *D:no Doct. Dahlberg S. Regis Sueciæ Medico.*

Uſurpatur frequentiſſima in Febribus intermittentibus & exacerbantibus, in Dyſenteria, variisque aliis morbis, ubicunque ventriculum evacuare volumus.

XIV. HELLEBORUS ALBUS.

VERATRUM (*album*) racemo ſupradecompoſito, corollis erectis. *Linn. Syſt. Nat. ed.* 13. *p.* 757.

VERATRUM (*nigrum*) racemo compoſito, corollis patentibus. *Linn. Syſt. Nat. ed.* 13. *p.* 757.

Plantæ

Plantæ hæ ambæ in regionibus naſcuntur *orientalibus*, ſed hyemes noſtras in hortis facillime ferunt.

Radix in officinis proſtat; & nihil ſane refert, an ab hac, an ab illa deſumatur ſpecie.

Medicamentum eſt valde draſticum & violentiſſime purgat. Vomitum quoque nonnunquam excitat loco alvi ducendi, quare vix interne adhibendum eſt, niſi ſumma cautione, nec unquam ultra quantitatem ſex granorum.

Externe decoctum ad corpus, Scabie infectum, lavandum uſurpatur, & in aures, Cophoſi premente, cum ſucceſſu injicitur.

XV. HELLEBORUS NIGER.

HELLEBORUS *(niger)* ſcapo ſubbifloro ſubnudo, foliis pedatis. *Linn. Syſt. Nat. ed.* 13. *p.* 431.

Naſcitur in *Europæ* auſtralis Alpibus.

Radix in officinis proſtat & ſane commodiſſime purgat, etſi negent alii, forſan ob plantam in officinas introductam alienam. *Radix* in pulvere adhibetur ad unius ſcrupuli quantitatem, & in Decocto ad ſemiunciæ. *Extracti*, quod cum aqua pluviali paratur, doſis eſt ſemidrachma in forma pilularum.

XVI. ASARUM.

ASARUM *(europæum)* foliis reniformibus obtuſis binis. *Linn. Syſt. Nat. ed.* 13. *p.* 367.

In *Europæ* locis umbroſis frequens occurrit.

In officinis proſtant *Folia* & *Radix*, quæ proprie radix non eſt, ſed potius Caulis ſupra terram decumbeus.

Pulvis radicis ſubtiliſſimus vomitum ciet, ſed rariſſime ſcopo emetico propinatur, cum meliora emetica habeamus; groſſior autem pulvis purgat ſatis commode. Radix cum Aqua cocta Mundificans evadit & Diuretica. Pulvis foliorum communiter, in nares veſpere attrahitur, ad naſum purgandum, in Morbis Catarrhalibus; & auribus inflatur in Cophoſi. Doſis Radicis eſt drachma; *Extracti* autem, quod rariſſime uſurpatur, ſcrupulus.

XVII. CYCLAMEN.

CYCLAMEN *(europæum)* corollis retroflexis. *Linn. Spec. Plant.* 207.

In *Auſtria* naſcitur & frigus in hortis noſtris pertolerat.

Radix in officinis proſtat; recens acerrima eſt, ſed exſiccatione acredinem amittit; cocta eſculenta evadit, uti *Lathyrus tuberoſus* teſte *Gleditſchio*.

Recens purgat, ſæpe cum inflammatione, quare minus tutum eſt Medicamentum. Compoſitionem habemus in officinis ſub nomine *Unguenti Arthanitæ*, quam hæc radix ingreditur, ſed nunc fere exoleta eſt.

SAMBUCUS & EBULUS vix ſcopo purgandi hodie a Medicis adhibentur, quamvis ruricolæ nonnulli cortice interiore utantur, qui valide purgat.

III. *STI-*

III. STYPTICA.

XVIII. RHABARBARUM.

RHEUM (*palmatum*) foliis palmatis acuminatis. *Linn. Syst. Nat. ed.* 13. *p.* 319.

Ratione virium purgandi *Rheum rhaponticum*, *palmatum* & *compactum* fere sunt varietates, & differunt tantummodo gradu.

Rheum palmatum in *China*, *Sibiria*, *Tataria* nascitur & laetissime in hortis nostris germinat, locis umbrosis.

Radix in officinis prostat. Purgans est praestantissimum, quamvis ob dosin satis magnam difficilius assumatur; tutissimum quoque aestimatur Medicamentum, adeo ut senex octogenarius se ab omnibus aliis medicamentis deceptum fuisse dixerit, sed a Rhabarbaro nunquam. Post effectum purgandi intestina roborat alvumque aliquantulum adstringit, atque urinam colore luteo tingit, quod vix ab aliis obtinetur purgantibus. Qualitate sua amara Antacidum est, quare in Hypochondriasi, Leucorrhœa & Diarrhœa optime inservit. Dysenteriæ Rhabarbarum proprie dicatum est, adeo ut in hoc morbo eo carere nequaquam possimus. Ut Tonicum in morbis chronicis, & in Ventriculi vel Intestinorum debilitate, maximo cum successu adhibetur; unde Angli nostrates haud raro eum horis matutinis masticant. In febri lenta infantum, a lacte in intestinis coagulato, omnibus aliis Medicamentis praestat. Hepati quoque amica est: unde *Anima hepatis* Veterum, quæ hodie *Anima Rhei* vocatur est *Tinctura*. Verbo: *Rhabarbarum* purgans est praestantissimum atque tutissimum, & in omnibus fere casibus, ubi Tabum intestinalem evacuare

cuare volumus, æque tuto adhiberi poteſt infantibus, ſenibus, feminis delicatis, gravidis, puerperis.

Doſis in ſubſtantia drachma eſt, ſed vis ejus purgans multum augetur guttula Olei Cinnamomi addita, quod etiam, ne tormina oriantur, prohibet. *Tincturam* adhibere poſſumus ad quantitatem unius alteriusve unciæ. *Extractum* vix uſurpatur. *Decoctum* quoque ob ingratiſſimum ſaporem, & magnam quantitatem ad purgandum neceſſariam, raro præſcribitur.

IV. ACIDA.

XIX. TAMARINDUS.

TAMARINDUS *(indica). Linn. Hort. Cliff.* 18.

Arbor eſt *Ægyptiaca* & *Arabica;* ſed in Caldariis noſtris ſterilis.

Fructus in uſu eſt.

Eccoproticum eſt, & ob ſaporem ſuum acidum optime inſervit in Febribus phlogiſticis, præſertim ubi Cephalalgia ſimul vexat, vel ubi Tophi podagrici urgent Nocere fertur in Dyſenteria, Cachexia, & Tuſſi.

Doſis ejus communiter ſunt unciæ tres in Decocto ſeu Infuſo.

V. DULCIA.

XX. CASSIA FISTULA.

CASSIA *(Fiſtula)* foliis 5-lobis ovatis acuminatis glabris, petiolis eglanduloſis. *Linn. Syſt. Nat. ed.* 13. *p.* 327.

Naſci-

Naſcitur in *Indiis*; ſed in Hortis noſtris ſterilis.

Fiſtula Caſſiæ eſt *Siliqua*, e qua deſumitur pulpa, rejectis diſſepimentis, ſeminibus, atque ſiliquis ipſis.

Doſis *Pulpæ* drachmæ ſunt duæ, vel ſi antiquior ſit, uncia, & in ſero lactis cocta ut plurimum adhibetur.

Purgans eſt commodum; minime enim debilitat, & teſte *Sanctorio* perſpirationem auget. Convenit præſertim in Nephritide, ubi alia purgantia irritant, & in febribus calidis: Infantibus, ſenibus, gravidis, reliquisque debilibus, ut Hæmorrhoidariis communiter propinatur.

Videmus hunc fructum nil ingrati continentem, ſed ex arbore fœtida ortum, aliquid occultare nauſeoſum naturæque intolerabile.

XXI. POLYPODIUM.

POLYPODIUM (*vulgare*) frondibus pinnatis: pinnis oblongis ſubſerratis obtuſis; radice ſquamata. *Linn. Spec. Plant.* 1544.

Planta eſt per totam fere *Europam* vulgatiſſima, in rupibus creſcens.

Raro adhibetur, cum recens tantummodo operetur & exſiccatione vim ſuam omnino perdat. Doſis ejus uncia eſt una alterave, in aqua decocta, vel infuſa.

Frequentius in uſu eſt apud *Rheni* & *Moſæ* accolas in Arthritide, vel etiam in pectoris Morbis, cum ſit dulcis.

XXII. MECHOACANNA.

CONVOLVULUS *Mechoacanna* dictus.

Planta est obscura, e Brasilia & regionibus adjacentibus nobis adducta.

Securissimum est purgans, benigne & sine molestia operans; usurpatur in Morbis œdematosis, sed nostro ævo raro præscribitur, postquam Jalapa frequentior evasit. Dosis ejus drachmæ sunt duæ in pulvere.

Cavendum est, ne Radix *Mandragoræ* loco hujus substituatur, unde funesta Symptomata.

XXIII. AGARICUS.

FUNGUS Laricis *Bauh. Pin.* 175.

Nobis advenit ex alpibus australibus, quam sæpissime autem sumitur alius quivis Agaricus aut Boletus. Hinc eum purgare nonnulli negant, unde quoque apparet, Medicamentum hoc nequaquam esse tutum.

Tarde quidem purgat, & ab ejus usu excrementa alba evadunt. Dosis ejus in Infuso semiuncia est. *Resinæ* autem, quæ revera *Extractum*, est semidrachma. Raro per se præscribitur, sed compositiones *Trochiscorum* quam sæpissime intrat.

XXIV. MANNA.

FRAXINUS *(Ornus)* foliolis serratis, floribus corollatis. *Linn. Spec. Plant.* 1510.

Arbor est *Italiam* australem inhabitans, cujus succus sole exsiccatus *Manna* vocatur.

Purgans

Purgans est sane mitissimum & tutissimum; infantibus, feminis delicatis, & prægnantibus inserviens. Becchicum est atque morbis pectoralibus dicatum, & præsertim in Asthmate humorali. Dosis ejus in Infuso uncia est, vel ultra.

Hæc sunt præcipua purgantia, tamen restant nonnulla minoris momenti; ut *Prunæ*, *Alkekengi*, *Passulæ*, *Lapathum*, *Gummi Gutta*, *Euphorbium*, *Catapatia*, cum aliis, quorum singula enumeranti, non Dissertatiuncula tantum, sed totum conscribendum foret Volumen.

CLXXXIV.

CL.XXXIV.

PERSPIRATIO INSENSIBILIS

PRÆSIDE

D. D. CAR. A LINNÉ

PRO GRADU DOCTORIS

proposita

ab Auctore

NICOLAO AVELLAN

Tavast. Fennone

Phil. Mag.

Upsaliæ 1775. *Nov.* 25.

---

§. I.

A natura constitutum est, ut si sanitas constare debeat, excretiones in homine adulto pondere sint æquales ingestionibus. Hinc multum omnino refert, ad morbos præcavendos & sanitatem indagandam, respicere ingesta & excreta, num proportionem inter se habuerint: eadem si non servatur, adversæ valetudinis primordia haud procul erunt. Harum perspiratio insensibilis, cum reliquas omnes excretiones exsuperet, corpus a corruptione quam maxime vindicat.

Hanc

Hanc excretionem Medici vetuſtiſſimi ſibi perſpectam habuerunt. Magnus ille Medicinæ Dictator, HIPPOCRATES, *totum corpus exſpirans & inſpirans eſſe* commemoravit. *Epid. Libr. VI. Sect. VI.* GALENUS idem in Libr. *de uſu partium cap. V.* diſtinctius docet. *Sicuti per determinata in cute oſcula excernunt quidem extrorſum omne, quodcunque vaporoſum & fumoſum redundans eſt.* Primus tamen omnium, ſagaciſſimus obſervator SANCTORIUS *a Sanctorio* Italus, nobis in *Statica ſua Medicina* experimentis, modum & copiam inſenſibilis perſpirationis, ejusque varia & augmenta & decrementa, ex aëre, a cibo & potu, ſomno & vigilia, exercitatione & quiete, venere & animi adfectibus, pro mutatis circumſtantiis demouſtravit. Inde in gloriam ejus hodie perſpiratio inſenſibilis Sanctoriana audit. Poſt SANCTORIUM plures Viri Celeb. ut KEILIUS in Anglia, DODARTIUS & MORIN Pariſiis, DE GORTER in Belgio, ROBINSON in Hibernia, LININGS in Carolina, & nuper iterum HOME in Anglia, de eadem experimenta inſtituerunt.

§. II.

Materia perſpirabilis ſecernitur ex arteriis rubris, quæ absque ullo medio folliculo, ut Anatome demonſtrat, quo magis verſus exteriorem cutis ſuperficiem excurrunt, eo ſemper minores fiunt, ac demum arteriolas minimas exhalantes formant, quæ dein, in tota cutis ſuperficie, per oſcula minima exhalant humorem tenuem, aquoſum, odoratum; naturaliter inviſibilis, frigore tamen condenſatus, ſpecie fumi cernitur, vel etiam auctо humorum verſus cutim ruentium impetu, copia majori ſecretus, vel relaxatione ac dilatatione præternaturali vaſculorum, ſub forma viſibili apparet, ſudor-

ſudorque adpellatur. Per errorem igitur a Cl. Viris glandulæ peculiares, pro excretione ſudoris proponuntur.

§. III.

Copiam fugacis materiæ, quæ per poros cutaneos excernitur, maximam eſſe, experimenta Cl. Virorum nos edocent. Ex obſervationibus SANCTORII conſtat, proportionem inſenſibilis perſpirationis eſſe ad urinam & alvum, ut 5 ad 3. Experimenta ſua ſequenti modo inſtituit: per tres annos ponderavit in ſtatera proprium corpus, ponderavit dein cibum & potum, quem intra 24 horas ſumſerat, ponderavit etiam excrementa alvi & urinæ ejusdem temporis ſpatio reddita; horis 24 prætentis, iterum ſe ponderavit, & invenit, corporis gravitate eadem, urinæ & alvi excrementorum gravitatem multo minorem eſſe gravitate cibi & potus aſſumti; cunctis ſic peractis concludere ipſi licuit, pondus quod ab excretis cum ingeſtis comparatis defuit, inviſibiliter e corpore deceſſiſſe, calculique jam allatæ fuiſſe. Experimentorum ab Ill. Viris inſtitutorum in diverſis regionibus, magnam differentiam, ut, quando in calidiſſimis regionibus unc. 60 ſuperat, in frigidis tamen intra unc. 50, 40 etiam 30 ſubſiſtit, climati, anni tempori, tempeſtati, temperamento hominum, victui, vitæque regimini, tribuendam exiſtimamus. Licet jam diverſitas ſit magna a variis circumſtantiis, tamen in calidioribus regionibus, & apud nos tempore æſtivo, omnes reliquas excretiones notabili exceſſu ſuperat. Quodque ut nemini mirabile obveniat, perſpirabilis excretionis copiam tantam eſſe, perpendat latiſſimam ſuperficiem cutis, ſuperficiem aëream pulmonum, oris, narium & numerum vaſculorum exhalantium hic fere infinitum, quæ

quæ ſpatio unius grani ſabuli, ſi Leeuwenhœckio fides habenda, ad 125000 hiant.

§. IV.

Ordo jam exigit, ut de cauſſis, perſpirationem inſenſibilem promoventibus, & impedientibus, pauca commemoremus. Optime peragitur, ſi vaſa viſceraque juſto robore, flexilitate atque elaſticitate gaudent. Ab ingeſtis perſpiratio varias ſubit mutationes. Obſervat Sanctorius Sect. III. hominem cibo refertum, abſoluta concoctione multo plus quam jejunum perſpirare; hoc idem unusquisque aliquot horis a paſtu, dum chylus cum ſanguine circumvehi incipit, in ſe ipſo obſervare poteſt. Sanctorius itidem refert, perſpirationem, una nocte, tertia parte minorem fuiſſe hominis non cœnantis, quam cœnantis. Quemadmodum cibus potusque in genere perſpirationem mutant, ita diverſæ eorum qualitates, varias mutationes inferunt. Cibi levioris digeſtionis, perſpirationem optime promovent; ſic caro vervecina, quæ mollior teneriorque ceteris carnibus eſt, plus illis perſpirat; caro porcina e contrario, cum difficillimæ ſit concoctionis, perſpirationem diminuit; carnes fumo induratæ idem faciunt, omnium maxime autem Lardum. Cibi calefacientes, aromata cibis addita, vi ſtimulante digeſtionem promovent, humores validius excitant, perſpirationem augent. Permulta hujusmodi carminativa & aromatica, perſpirationem promoventia, in officinis noſtris pharmaceuticis ſervantur atque præparantur; hos inter Aſſa fœtida, atque Moſchus optime vim ſuam exercent. Potulentorum omnes potus Spirituoſi, calidi Aquoſi Theæ, Coffeæ perſpirationem promovent, & vim cordis augendo, & materiam perſpirabilem ſuppeditando, & vaſcula relaxando. Potulen-

tulentorum reliqui, quo minus in vias urinarias agunt, eo magis perſpirationem promovent. Aëris qualitates cum diverſiſſimæ ſint, non poteſt non eſſe, quin tantæ differentiæ, uti nos ſub ea verſantes varie afficiunt, ſic etiam in perſpiratione alteranda ex omnibus maximam vim habeant. Summus Medicinæ Parens *Hipp. in Lib. de aëre & aquis* &c. non ſolum morbos diverſos, ſed & temperamenta, immo mores hominum, ab aëris varietate pendere ſtatuit. GALENUS, fidus ejus commentator, cum illo idem facit. In genere aër calidus & ſiccus, frigidus & ſiccus, gravis, perſpirationem promovent; aër debita gravitate & elaſticitate præditus, præterquam quod facilius ſuſcipit & aufert vapores exhalantes, etiam preſſura ſua, quæ in homine mediocris ſtaturæ cenſetur eſſe librarum 32000, ſanguinem verſus cor urget, unde velocitas ſanguinis augetur, & ceteris paribus perſpiratio inſenſibilis, quam conſequitur corporis animique vigor & alacritas. Contrarios contra effectus infert aër, harum qualitatum expers, calidus & humidus, æſtuoſa & nimis humida atmoſphæra, ſanitate maxime periclitamur, imprimis vero aër frigidus & humidus, uti pluvioſa atque imbricoſa tempeſtas, tranſpirationi officit. *Sanctorius* hoc idem innuit *Sect. II. Apb.* 14. *Ab æquinoctio autumnali ad ſolſtitium hyemale, qualibet die minus libram circiter perſpiramus; inde usque ad æquinoctium vernale incipimus liberius perſpirare.* Certe nullo non tempore anni, morbi invadunt homines, autumno autem quam plurimi, quo tranſpiratio quam maxime corrumpitur: *Saluberrimum eſt ver, proxime deinde ab hoc hiems, periculoſior æſtas, autumnus longe periculoſiſſimus. Celſus Libr. II. Cap. I.* Exercitio corporis perſpiratio optime promovetur; ex alterno enim muſculorum motu ſanguis verſus cor fortius propellitur, ſicque cordis vis & velocitas augetur,

tur, calorque major oritur, quo vaſcula cutanea relaxantur & materiæ perſpirabilis excretio fit major. Immo adeo hinc perſpiratio aucta eſt, ut intra horam triplo, ſubinde decuplo plus, quam in quiete, perſpirari obſervatum eſt. Notat *Sanctorius Sect. V. Aph. II.* tempore ſomni perſpirationem duplo majorem eſſe, quam vigiliarum, immo majorem quam in exercitio violento *Aph. VI.* Inde ſimiliter corporis levitatem atque agilitatem poſt ſomnum placidum deduxit, & contra poſt irrequietum. Hic tamen obſervandum rationem phænomeni non in ſomno quærendam eſſe, quin potius cenſenda ſit effectus caloris atque teporis lecti a tecto corpore. Levitas a ſomno placido cum agilitate corporis apparens eſt, & pendet a virium refectione ſub ſomno. Hæc eadem *Sanctorius Aph. XII.* affirmare videtur, cum dicit: *Qui dormiunt pedibus & coxis detectis, noctis ſpatio libra perſpirabilis exhalare prohibetur.* Idem *Aph.* 50. affirmat per nimium ſomnum tranſpirationem minui. Licet corpus poſt ſomnum inquietum & turbatum ſentiatur gravius & minus agile, ad ſtateram tamen levius eſſe obſervat Celeb. DE GORTER. De reliquo ſi ſomni tempore tantum perſpiraret corpus, certe nec pingueſceret, nec obeſitate augeretur, ut fit, cum contra per vigilias gracileſcit. Hinc omnino concludere licet, perſpirationem reapſe, ſomni tempore, minorem eſſe, quam vigiliarum. Animi Affectus quemadmodum validiſſime ſunctiones corporis movent, ita perſpirationem etiam varie mutant: ira, lætitia, circulationem augent, ergo perſpirationem: mœror & terror contrarios inducunt effectus. Hinc SANCTORIUS *Sect. VII. Aph. I.* affirmat, iram corpora facere leviora, timorem vero graviora. *Aph. VI.* Conſolatio animi liberam ſervat perſpirationem. Idem eleganter refert *Sect. VI.* perſpirationem a

rara & moderata venere augeri corpusque levius reddi.

Præterea quod cauſſæ jam expoſitæ perſpirationem optime juvent, ulterius eandem promovent mundatio totius cutis, quæ optime vaporibus, balneis, lotionibus calidis, frictionibus peragitur, quæ vim ſuam ſimul relaxatione omnium vaſculorum & cutaneorum & ſubcutaneorum exhibent. Frictiones augendo calorem loci, humores impellunt, attenuant, obſtructa ſolvunt. Cauſſis perſpirationem promoventibus ſic breviſſime allatis, jam aliæ eam diminuentes ſubjungendæ forent; ſed præterquam quod cuique concludere liceat recenſitis contraria vim inferre contrariam, earum hinc & illinc mentionem intulimus, adeo ut eas jam commemorare omittamus; verbo tamen monere juvat, perſpirationem minui, quo magis reliquæ excretiones augentur, attamen obſervando, purgantia perſpirationem ſimul promovere, ſi ſuppreſſa eſt a corrupta materia in primis viis, ut monet *de Gorter*.

§. V.

Quemadmodum perſpiratione optime procedente, corpus alacre, agiliſſimum, vegetumque perſpicitur; ita perſpiratione vel ſuppreſſa vel diminuta, grave, torpidum, laſſum, ſentitur, cum ſenſuum hebetudine; ſi in parte quadam corporis ſeorſum perſpiratio minuitur, ea pars ceteris gravior & hebetior obſervatur. Cum igitur tranſpirationem ſuppreſſam ſemper ſubſequatur inſolita gravitas, torpor, laſſitudo, corporis animique languor, debilitas & inquietudo, hæcque ſymptomata fere omnes morbos præcedant, omni cum probabilitate concludere oportet, perſpirationem ſuppreſſam

preſſam plurimorum morborum cauſſam primariam eſſe. *Hipp.* laſſitudines ſpontaneas pro ſigno morbi ingruentis habuit. *Sanctorius* refert *Sect. I. Aph. XII. Si ex ſtaticis deprehendatur impeditam eſſe perſpirationem, diebus ſequentibus ſuccedet plenior perſpiratio, vel aliqua ſenſibilis Evacuatio plenior, vel Cachexiæ veſtigium vel Febris.* Primæ igitur ſequelæ perſpirationis ſuppreſſæ erunt alvi vel urinæ excretio aucta; ſin minus, corruptio humorum & febris oritur: neque hoc mirum, tum ob univerſam maſſam humorum præter naturam auctam, quam ſubſequitur rapidior ſanguinis motus, validiorque attritus ſolida & fluida inter; nam ut ſunt vaſorum capacitates inter ſe, per quæ eadem fluidi quantitas, eodem temporis ſpatio moveri debet, ſic inverſa ratione fluidi velocitas ſe habet, aucta enim quantitate fluidi velocitas augetur; tum inprimis ob retentionem humoris excrementitii, qui niſi inutilis atque noxius non poteſt non eſſe. Materia hæc perſpirabilis retenta, remora magis magisque acris redditur, futuramque putredinem prænuntiat. *Sanct. Sect. I. Aph.* 43. Ad morbi gravitatem a ſuppreſſa perſpiratione, multum confert quantitas materiæ ſuppreſſæ, magis vero qualitas; differunt hæc, ratione ætatis, vitæ, regiminis, anni, temporis, tempeſtatum &c. ſic obſervatur, perſpirationis ſuppreſſæ effectus, æſtate autumnoque, longe periculoſiores eſſe reliquorum anni temporum; diuturnus enim fervor æſtatis, diſſipatis liquidiſſimis corporis, adeo usque torret humores, ut acerrimæ putridæque fiant. *Sanctorius Sect. II. Aph.* 35. eleganter hæc proponit: *Adiaphoeſin æſtate malignam febrem, hieme vix minimam alterationem efficere poteſt: corpora enim acriori perſpirabili æſtate ſunt referta, quam hieme.* Hinc diverſiſſimi jam morbi perſpirationis effectus ſunt, ſecundum cujusque ſingularem corporis diſpoſi-

ſpoſitionem, qualitatem aëris, annique temporis, ut ſunt morbi varii exanthematici, eryſipelas, febres catarrhales, intermittentes, biliosæ, putridæ malignæ; *Sanctorius Sect. I. Aph.* 46. Morbi Phlogiſtici vel Inflammatorii varii, ut pleuritis, peripneumonia; Doloroſi: gravedo, odontalgia, angina, rheumatismus, arthritis. Morbi Suffocatorii: raucedo, tuſſis. Evacuatorii: epiphora, coryza, cholera, diarrhœa, dyſenteria, diabetes. Morbi denique Deformes; cachexia, hydrops.

§. VI.

Cum vero, ut monuimus, perſpiratio, præ ceteris a diverſa aëris qualitate varie afficiatur, inde abs re fore non dubitaverim, hic dyſcraſias tam fluidorum, quam ſolidorum a diverſa aëris conſtitutione orientes proferre, unde perſpirationis effectus clarius eluceant, & morbi varii inde naſcentes; quales ſunt tempeſtates, tales etiam ſunt morborum conſtitutiones notat *Hipp. in Libr. de humoribus Sect.* 7. Tempeſtas *ſicca* & *frigida*, fibras roborat, vaſa corporis coarctat, fortiora magisque elaſtica reddit, major frictio ac calor oritur, velocitas liquidorum acceleratur, ſecretiones fluidiores promoventur; durante ejusmodi tempeſtate humoribus lentor inducitur, fiunt denſi, glutinoſi & ad vaſa permeanda minus idonei; hinc morbi, qui a craſſo viſcido ac inflammatorio ſanguine pendent, oriuntur e. g. pleuritis, peripneumonia, anginæ, rheumatiſmi. Regnante hacce aëris conſtitutione, conveniunt diluentia, emollientia, potiones tepidæ, victus mollis & relaxans. Neque hæc tempeſtas omnibus æque noxia eſt, quin nonnullis ſalubris; ſic laxos atque pituitoſos firmiores vegetioresque reddit. Aër *calidus* & *ſiccus*, fere eosdem infert effectus, præterquam

quod

quod calore humida fortius diſſipantur, & quæ reſtant, longe acriores fiunt putredinémque ſubeunt, unde morbi billioſi, colica billioſa, cholera, dysenteria, febres putridæ, malignæ generantur. Aër *frigidus & humidus*, poros cutaneos conſtringit, vaſa occludit, quo ſecretiones & excretiones impediuntur, ſeroſa colluvies generatur, tuſſes, angina ſeroſa, febres catarrhales, intermittentes, homines corripiunt; ſi humores retenti non, aut per urinam aut per alvum, exterminentur. Hac tempeſtate durante, conveniunt cardiaca & omnia perſpirationem promotura ne inhibeatur. Aër denique *calidus & humidus*, maxime ſi æſtuoſus eſt, ſanitati officit, vaſa relaxantur, ſecretiones viresque deficiunt, hinc æſtate languidi minusque agiles ſumus, fluida & fere omnino ſolida reſolvuntur; diu manente ejusmodi tempeſtate, febribus putridis malignisſimis obnoxii reddimur. Occurritur huic conſtitutioni aëris diæta ſicca & adſtringente, & omnibus quæ fibras firmant putredinemque arcent.

Sic percurrendo cuncta, quæ in perſpirationem agunt, morbi inde orientes optime indagari poſſent; propoſita vero brevitas in iis diutius commorari vetat.

CLXXXV.

CANONES MEDICI

PRÆSIDE

D. D. Car. a Linné

PRO GRADU DOCTORIS

propoſiti

ab Auctore

SUENONE AND. HEDIN

Smolando.

Upſaliæ 1775. *Nov.* 29.

---

§. I.

Omnium Scientiarum, quæ poſt tot Annorum experientiam, tantosque Summorum Virorum Labores humanum Genus ornant, nulla exiſtit adeo conjecturalis, quin quosdam ſaltem Canones oſtendere queat, quibus innixa, dogmata ſua explicare ſatagit. Matheſis ſuos habet certiſſimos, Phyſica ſuos, ceteræ. *Medicinam*, ſcientiam licet omnium præſtantiſſimam, meris tamen ſuperſtructam conjecturis, omnique deſtitutam certa ratione, ipſe *Plinius* & omnes fere, qui priſtino vixerunt tempore, crediderunt. Hoc noſtro, quo jam vivimus, ſcientiis licet maxime illuſtrato, forſan nec deſunt oſores, quos, vi veteris adagii, ignorantes merito vocamus. Scientia Medica ingenia prorſus ſecularia ſtatoresque habuit,

buit, ſic ut nulla ſit Medicinæ pars, quin a ſummis in ordinem redacta ſit Magiſtris. Hinc etiam noſtro aevo ad illud faſtigium eſt evecta, ut ceteris minime ſit poſtponenda. Etenim omnibus erroribus celebratiſſimorum Virorum opera fere jam remotis, Medicina adſertis æque indubitatis ſuperſtruitur, ac ipſa *Phyſica experimentalis*. In præſenti hac diſſertatione *Canones* quosdam *Medicos* proponere in animum induxi; Ejus enim ſunt indolis, ut Medicus, his ignoratis, firmo nunquam talo inſiſtere queat, dum, e contrario, horum ſolertia nixus, ægrotos optatam valetudinem feliciter recuperaturos certus ſperare poteſt.

§. II.

Natura optima morborum Medicatrix.

Sapientiſſimus Creator cunctis animalibus facultatem quandam innatam eſſe voluit, quæ cuſtodis inſtar, ad omnia ea adtenderet, quæ in corpore fiunt, ne aut exceſſu aut defectu machina deſtrueretur. Ex effectibus ſuis hanc novimus, illamque *Naturæ* nomine inſignire ſolemus; Quid autem ſit natura, quisquis, ingenioſiſſimus licet, ſe neſcire fateri cogitur. *Mentem* & *Naturam* in corpore functiones prorſus diverſas peragere, neminem, vel paullum adtendentem, fugit. Mens cogitat & de rebus extra ſe judicat, Natura autem in perpetua eſt actione, adeo ut, hac ceſſante, ipſa ceſſet vita. Docta eſt a nullo licet edocta. Hinc infantes, qui acido in primis viis laborant, nullaque nec experientia nec inſtitutione edocti, carbonaceam quamcunque & calcaream materiam ingurgitare videmus, acidum ut temperetur. Decipi non poteſt natura, & ea, quæ corpori ſalubria ſunt, optime novit: Noxium quodpiam, ſi in corpus fuerit receptum, maximos facit conatus, ut

ut expellatur, anxia ſemper ipſius conſervationem quærens. Si vulneratum fuit corpus, in ſanandum vulnus intentiſſima, novas generat fibras, cuteque cicatricem obducit nova, id quod Medicus nulla ſua arte efficere poteſt; Oſſa fracta conglutinat & omnia in corpore læſa reparat. De Chirurgo legimus, qui omnia incaſſum tentaſſet in curando inteſtini recti prolapſu, tandem candente ferro ſe inteſtinum ablaturum ſimulavit, quo terrefacto Ægro, inteſtinum ſua ſponte repoſuit Natura.

§. III.

Natura repugnante, Medicina nil valet.

Quo verius eſt naturam optimam eſſe Morborum medicatricem, eo certior evadit hujus Canonis veritas. Medicus quamvis Theoria & Praxi conſummatiſſimus, invita tamen natura ſelectiſſimis Medicamentis nihil proficit. Chirurgus emplaſtris omnique ſuo adparatu, in minimo vulnere ſanando nihil efficit, ubi Natura Medicinam reſpuit. Vomitus adhibitis paregoricis & opiatis non ſiſtitur, quamdiu putridum quodpiam in ventriculo latet, perpetuo nauſeam movens. Hæmorrhagiæ nulla Medicina ſanabilis, mentionem facit Boerhaave. Puerum quendam vulnere laborantem, qui nullo negotio a Chirurgis ſanari potuit, tandem ſanavit Gen. Dnus Præſes, fruſtulo oſſeo ſublato, quod coalitionem impedierat. Strumæ puerorum omnem ſepe illudunt artem; ad ſequentia itaque adtendendum.

§. IV.

Quo natura vergit, eo ducenda.

Medico curæ nihil magis eſſe debet, quam ut naturam preſſo quaſi pede ſequatur; ſi enim optat

ut

ut ſua remedia felici coronentur ſucceſſu, ſciat ſe Naturæ eſſe Miniſtrum. Quamdiu imperturbatum manet corpus, ſanum eſt, ubi autem vitio Diætæ turbata fuerit ſanitas, morbus exiſtit; Hic autem nihil aliud eſt, quam vehementior naturæ niſus, quo malo ſe liberet, id quod aut *vomitu* vel *diarrhoea*, aut *ſanguine* vel *ſero* peragere plerumque ſolet. Hinc Medicus ad ægrotum vocatus, ſi viderit, ipſum nauſea & vomitu laborare, ſibi non minus, quam ægroto male conſuleret, ſi talia præſcriberet medicamenta, quibus vomitus ſiſteretur, natura enim ſatis ſuperque convincit, ſe vomitu eſſe curandam. In Febribus ubi ſemper a miaſmate deglutito exiſtit ad vomitum niſus, ante omnia, Emetica propinanda, quæ naturam ſublevare poſſunt. Si in his criſin per ſudorem futuram animadvertimus, quæ diaphoreſin augent minime intermittenda. Hæmorrhoides, nunquam licet ſint procurandæ, ſi tamen tanta ſanguinis moles ad vaſa hæmorrhoidalia fuerit progreſſa, ut nimium doleant, repellentia prorſus erunt rejicienda, quippe quæ hæmoptyſin aliaque longe intolerabiliora mala producere poſſunt, ſed potius Natura, hirudinibus adplicatis, ſublevanda.

§. V.

Natura, data porta, eo ruit.

Varia ſunt exempla hujus Canonis veritatem comprobantia. In Apoplexia ſanguinea, cauſſam ſuam, a ruptis intra calvariam vaſis, repetente, Medici Sanguinis miſſione certius ignorant medicamen, quo per amplum vulnus a capite derivetur ſanguis, dum venæ extravaſatum abſorbent, quo facto a preſſione liberatur Cerebrum. Quando a contuſione, ſanguis in telam celluloſam fuit effuſus, Venæ ſectione utimur, quo, ſanguine venis

venis reſorpto, inflammatio reſolvatur. Gonorrhoea virulenta, ſi adſtringentibus intempeſtive fuerit intercepta, virus eo ruit, quo porta patet; Hinc apud Auctores non infrequens ſit mentio, idem per naſum, coryza heic ſtimulante, pleno quaſi alveo fluxiſſe. In Phthiſi a deſtillantibus acribus humoribus ſetacea congruentia judicant Practici, ut, hac data porta, a pulmonibus avertatur malum. Per ulcera cacoëthica ipſum ſæpe effluxiſſe chylum, nullo non tempore obſervatum.

§. VI.

Evacuationes binæ ſimul vix perſiſtunt.

Unicus ſi excipiatur morbus, cholera ſcilicet, axiomate clarior hic Canon. Salva Natura, fieri non poteſt, ut binæ ſimul perſiſtant evacuationes, unde etiam de hac veritate certiores facti Medici, vomitum curant diarrhoea. Ubi hæmorrhagiæ narium nulla alia medela, venam ſecari Artis periti jubent, ſat gnari ex binis evacuationibus effectus.

§. VII.

Dolor dolorem trahit.

Medici, ſi hac deſtituerentur ſpe, deſperatis rebus in Podagra & Arthritide retrogreſſa, Ægrum fato ſuo relinquerent; ſi autem dolorem, illo intenſiorem excitare poſſunt, quam quem materia morbifica excitavit, hoc loco morbus ceſſat. Hinc etiam ſua moxa veteres podagram ad pedes revocarunt facile, id quod veſicatoriis & ſinapiſmis, noſtrates æque facile obtinent. In Variolis, dum puſtulas a facie derivare cupimus, pediluviis & ſinapiſmis pro ſcopo utimur, effectu raro deficientibus. In Ophthalmia, Synocha, cucurbitulis ſcarificatis,

ficatis, immo etiam in Gonorrhoea intempeſtive clauſſa, ceris medicatis fluxum provocamus.

§. VIII.

Omne evacuans debilitat.

Quæcunque fuerit evacuatio, corpus enervat & debilitat, hinc etiam ob catamenia feminæ viris longe ſunt debiliores. Qui Diarrhoea per quosdam tantum dies laboravit, pallore faciei & membris tremulis debilitatem ſat prodit. Gonorrhoea laborans inveterata, vires adeo perdit, ut tremorem artuum fere per totam vitam ferre cogatur. In Febribus inflammatoriis, ubi circulatio ſanguinis intenſiſſima, repetitis Venæ ſectionibus, tandem coërcetur. Juvenis cujusdam Boerhaave meminit, qui paralyticum habuit brachium poſt evacuationem nimiam ſanguinis, vulnere factam. Tabaci fumatores fere ſemper macilenti ſunt, pariter ac qui rebus venereis nimium indulgent. In India Orientali, ubi ſolis æſtus maximus eſt, incolas ob ſudorem nimium ſola cute oſſibusque conſiſtere crederes.

§. IX.

Venena curant, eſculenta conſervant corpus.

Ut hic rite intelligatur canon, explicandum erit, quæ ſit differentia inter venena & eſculenta. Venena ea adpellamus, quæ minima licet adhibita quantitate a corpore reſpuuntur, dum contra, eſculenta ea reparant, quæ quotidie motu & frictione a corpore teruntur. Omnia medicamenta ut venena conſideranda ſunt, quia corpus alterant, agendo vel in fluida vel in ſolida, vel maxime in ſyſtema nervoſum, præter acria. Hæc ipſa venenatiſſi-

natiſſima, obſervatis obſervandis, optimam nobis præbent Medicinam. Elaterium exempli cauſſa nominaſſe ſufficiat. Cum his haud aliter comparatum eſt, ac cum novacula, quæ quo acutior fuerit, eo melior & hebetiori ſemper præferenda.

§. X.

Natura expellit Toxica ſimulque impura.

Nuperrime explicavimus illam eſſe venenatorum indolem, ut a natura ſtatim expellantur. Heterogeneo itaque in corpore exiſtente, toxica propinanda judicat Medicus. Etenim natura hæc nullo modo perferente, eo ipſo, quo toxica exterminare ſtudet, impura quæcunque ſimul expellit. Hoc ſat lucide ex purgationibus adparet, ubi non ſolum primæ viæ purgantur, ſed ipſa quoque ſanguinis maſſa, id quod rationibus ex Phyſiologia petitis facile explicatur. Hinc etiam in Odontalgia rheumatica Sialagogis eliminatur malum; fontes enim natura aperit omnes, ut abluantur acria, dum ſimul materia noxia ejicitur. In febribus intermittentibus propinato emetico, naturam ſimul cum veneno, viſcidam expuliſſe materiam, notarunt obſervatores, qua ſublata, ſanitatem mox recuperarunt ægroti.

§. XI.

Venenatiſſima a minima doſi, ſufficiente vehiculo incepta, heroica evadunt.

E toto regno vegetabili nullum adeo cognoſcitur pernicioſum venenum, quin moderata doſi & ſufficiente vehiculo ſublutum, propinari queat. Abſit, ut Veterum ſequamur ſententiam, fugiendo venena, etenim non datur venenum niſi a doſi, &

& dum a minima incipimus, lente progrediendo ad majorem, maxime heroica habemus. *Opium*, *Spigelia*, *Hyoſcyamus*, ceteræ, effectus, fidem ſuperantes omnem præſtiterunt, ubi in manu periti fuerint rite adminiſtratæ, dum contra, *Medicamenta heroica in manu imperiti ſunt uti gladius in dextra furioſi.* Sæpe dum Hannibal ante portas, ab orci quaſi faucibus heroicorum uſu fuit ereptus æger. In Variolis confluentibus *opium* ſacra ancora; in paſſione iliaca, a ſpasmis ſcilicet originem ducente, forſan ab aliis cauſſis, unicum. Quod ſi heroica talia fugeret Medicus, brevi certe cum ægroto eſſet actum. Cautelæ tamen heic variæ obſervandæ, ut ſtatus ægroti quam maxime reſpiciatur, ſi enim ſplendeſcere incipiunt oculi & pupilla dilatari, ſciat Medicus ſibi eſſe adquieſcendum. Mercurius ſublimatus, venenum quamvis inexſtirpabile, ſufficienti tamen ſi adhibetur vehiculo, ut adeo particulæ diluantur & doſis ſimul moderata, in Lue venerea id præſtat, quod aliud prorſus præſtare nequit remedium.

§. XII.

Conſuetudo debilitat Medicamentum, ſæpe mutatum arguit ignorantiam.

Medio hic Medicus tutiſſimus ibit; ab altera enim parte conſuetudinem ſibi oppoſitam habet, ipſa venena irrita facientem, ut de Rege Mithridate narrant hiſtoriæ, ab altera caveat, ne, priusquam explorata ſatis fuerit Medicamenti vis, novum propinet, ſicque ægroto & adſtantibus certam ignorantiam prodat. In chronicis morbis maxime medicamentis opus eſſe, experientia docuit, ſi autem Medicus, ſine debita adtentione, eadem ſæpius repetit medicamenta, conſuetudine tandem fracta natura,

natura, iis nihil efficit, quæ alii insueto porrecta, præsentissimum ostenderent effectum. Turcæ, apud quos adeo obtinuit opii usus, ultra duos scrupulos progrediuntur, id quod tertia parte apud nos sumtum, certam adferret mortem. Abstemio spirituosa minima dosi Medicinam præbent, Helluoni, vel maxima quantitate sumta, parum corpus alterant.

§. XIII.

Medicamentum curat Speciem, raro Genus Morbi.

Species morbi a causis desumendæ sunt, & prout hæ variant, variæ quoque existunt species, suum quæcunque requirentes medicamentum. Res autem ut clarior evadat, exemplis est collustranda. Si quis *Vertigine* fuerit correptus, sisyphi saxum volveret Medicus, generali quodam remedio Genus morbi curaturus, ubi causæ diversissimæ adeo naturæ, Species æque diversas faciunt. Etenim nullus non videt, alia adhibenda remedia, dum a vitiis intra calvariam existentibus, originem trahit, (si quid in his Medicus potuerit,) alia a plethora, a Scabie retropulsa alia, a collari denique nimis adstricto alia. *Epilepsiæ* nec minus variæ sunt causæ; *Pœoniam*, *Valerianam* extollunt Medici, parum tamen profuturas, ubi depressio calvariæ, vel caries ejusdem morbum generant. Gummi Ammoniacum, sacra licet in Asthmate humorali sit ancora, irritum tamen Medico foret, si a Vomica causam repeteret species morbi. Tinctura cantharidum, præstantissimum licet omni tempore habita est diureticum, sin autem in Ischuria a Vesicæ inflammatione præscriberetur, idem esset, ac fomentum igni præbere. Hanc quoque reputandam statuimus causam neglectus Selectissimorum Medi-

Medicamentorum; Medicus enim, ignarus in quæ demum Specie Morbi hoc vel illud ſit Specificum, poſtquam repetitis vicibus in diverſa longe ſpecie tentavit incaſſum, ut nocuum prorſus in deſuetudinem venit.

§. XIV.

Qualitate vis Medicamenti detegitur, experientia confirmatur.

Ab odore & ſapore omnes cognoſcuntur plantarum qualitates, quæ Medicum nunquam decipiunt. *Syſtemate enim, qualitate & experientia, eruitur omnis uſus plantarum.* Cui hac de re Aqua hæret, non dubium quin vitia cerebro hæreant. Rem autem tantæ utilitatis Generi humano, cui detegere reſervatum fuit, plus præſtitit quam qui metallorum fodinas ditiſſimus detexit. Ubicunque terrarum jam Medicus deget, a priori de obviis ſibi plantis judicare poteſt. Hinc ſi amariſſimam invenerit, illam in omnibus illis morbis profuturam judicat, qui acido cauſſam debent. Tetrum ſi ſpargit odorem, ipſam veneni quodpiam habere, luce clarius eſt. Si autem experiri ſimul licet, quæ a qualitate medicamenti conſtat, omne adeo dubium removetur, ut firmiſſima fiat medicina.

§. XV.

Qui miſcet contraria contrariis, idiota eſt.

Scientia Medicorum Veterum in eo fere conſiſtebat, ut maximam Medicamentorum molem in unam formulam congererent, diverſiſſimæ prorſus compoſitionis, qualitatisque; *Mithridatium* & *Theriaca Andromachi* hoc ſatis probant. Compoſita e Medicina fere proſcriberentur, ſimplicia optime agunt, & ubi hæc præſcribit Medicus artis ſuæ peritus,

ritus, de remedii effectu non dubitat. Nam ut suadet *Villanovanus, qui potest mederi simplicibus, dolose & frustra quærit composita.* Cui sententiæ accedit *Hoffmannus: qui longas remediorum formulas præscribit, aut dolo peccat aut ignorantia.* Addi potest; si a compositis tandem sequeretur effectus, cuicunque demum ingredienti sit adscribendum, detegi vix potest, unde in Medicina confusio maxima. Ast ubi contraria miscentur, ignorantiæ notam vix ullo modo effugit Auctor. Pinguia & acria, acida & Amara in eadem formula congesta, non possunt non idiotam prodere. Ubi in *pilulis* salia præscribuntur facile deliquescentia, in emulsionibus quæ album mutant colorem, non melius res se habet.

§. XVII.

Contraria Contrariis curantur, Morbi Morbis.

Omnia in tota rerum Natura contraria esse, demonstratione vix egere videtur. *Calor* & *frigus*, *lux* & *tenebræ* invicem opponuntur. *Calx* & *humus*, hic plantis destructis originem debet, illa Animalibus. In homine sunt *Cerebrum* & *Corpus*, *cruor* & *sanguis*, verbo: omnia opposita. Contraria autem contrariis curari æque est indubitatum. Qui *Apoplexia* laborat, si in *paralysin* abit malum, Apoplexia curatur; id quod accidit, si *Synocho* fuerit correptus æger. *Mania* tollitur *Dysenteria*, *Epiphora Diarrhoea*, *Pleuritis Hæmorrhagia*. *Convulsiones*, ultima naturæ conamina, *Lethargo* sopiuntur & contra. *Hydrops* curatur *Diabete*, *Polysarcia Marasmo*, *Cephalalgia Coryza*. *Flatulentia* tollitur *Ructu*, *Nausea Vomitu*, *Amblyopia Epiphora*. Adeo ut si contrarios semper excitare posset Medicus morbos, nullus vix existeret incurabilis.

§. XVII.

Ubi unica via ſalutis, illa licet cum periculo tentanda.

Eo cum proceſſit malum, ut hic obtineat Canon, ægro neceſſario moriendum, ſi quæ ſupereſt ſalutis via intentata relinquitur. In Ulceribus malignioris indolis, dum cortice peruviano impediri nequeat, quin Sphacelus irrùat, amputatio tandem eſt adhibenda, ne a Membris per totum diſpergatur corpus. In Veſica, ſi calculus latet Lithontripticis omnibus fruſtra tentatus, ejusque molis, ut per urethram progredi nequeat, ad ſectionem tandem veniendum; & ſic in ceteris. Famæ autem ſi conſultum cupit Medicus, adſtantes certiores faciat, neceſſe eſt, in quanto jam diſcrimine verſetur æger, ſi enim progreſſu ultima tentaverit, animam ſciant ægroti ipſum a tartaris quaſi revocaſſe, ſin vero fruſtra fuerit ipſius opera, ne dicant: *Medicum occidiſſe, quem ipſius ſors interemit.*

§. XVIII.

Temporibus Medicina valet, data tempore, prodeſt.

Suo tempore & congruentibus Medicamentis nihil fere incurabile eſt. Tempus lucrari ſi Medico licet, illi ſæpe ſervari poteſt vita, cui, per ſemihorium ſibi relicta, miſere pereundum erat. Inflammatio initio probatis remediis facile reſolvitur, ſin autem in Sphacelum abit, vix medela ſupereſt. Hydrops increſcens brevi cedit medicinæ ſelectæ, ubi autem altiores egerit malum radices, Medicorum evadit ſcandalum. Phthiſis, dum prima ſui ſigna prodit, medicamenta raro irrita, confirmata autem Æſculapium illudit ipſum. Ætas

ægroti non parum juvat. Vulnera, fracturæ aliaque innumera mala in puero facile curantur & juvene, ubi blandi humores & natura prona Medicamenta sublevant; In sene e contrario, licet vel minimum sit malum, irrita tamen pleraque; Natura enim debilitata ad interitum suum properans, minimo destruitur. Hæc autem breviter de *Canonibus Medicis*, Tibi, B. L. tradimus; plura adferri possent, vetat autem tempus, prohibet Res angusta domi. Itaque manum de Tabula.

CLXXXVI.

CLXXXVI.

SCORBUTUS

PRÆSIDE

D. D. CAR. A LINNÉ

PRO GRADU DOCTORIS

propositus

ab Auctore

ERNESTO D. SALOMON

Cohort. prætor. Chirurg. primar.

Upsaliæ 1775.

---

§. I.

Morborum vix ullus tot hominum clades edidit, tantumque inter Medentes dissensum introduxit, quam qui *Scorbuti* nomine jam ubique notus est. Dirum enim hoc malum totas sæpe regiones, urbes, exercitus, naves, miserandum in modum adflixit, medentiumque sæpius, haud aliter ac ipsa pestis, elusit curam. *Hippocrati a)* vel Εἰλεὸς αἱματίτης, vel passim *b)* Lien magnus (Σπλὴν μέγας) dictus fuit, quemadmodum se eruisse putant Scriptores Medici. Nec *Plinio* ignotus

---

a) Lib. de Int. Affect. Edit. Fœsii p. 557.

b) Prorrhetic. Lib. II. p. 3. Lib. de affect. p. 521. Lib. de Aëre, Aquis & Locis p. 282. & passim.

tus fuit, quatenus caſtrenſem morbum, exercitum Romanum Cæſaris Germanici admodum male habuiſſe docet, qui σομακάνη vel σκιλοτύρβη Medicis dicitur *c)*. Strabonem, & ceteros Medicos qui *Hippocratem* auctorem preſſo pede ſecuti ſunt, ut reticeam. Quamquam vero ex relictis deſcriptionibus Scorbuti ſymptomata quædam generalia, quæ antiquitatis ſuſpicionem dederunt, depromi poſſint: ob inſufficientes tamen notas, easque aliis morbis plurimis communes, novum hunc morbum & ante Secul. XVI. vix auditum pronunciare non dubitarunt ſcriptores neoterici, *Foreſtus*, *Citeſius*; noviſſime *Freindius* & *Sauvages*. Veriſimile videtur, Scorbutum ab antiquiſſimis temporibus, æque ac nunc, humano generi fuiſſe infeſtum: ſed cum in regionibus calidis mitior ſit, & noſtra vivendi ratio a proavorum maxime diſcrepet, atque ars navigandi ad ſummum, quo nunc eſt, faſtigium provecta non fuerit *d)*, graviora hujus morbi Symptomata medentibus forte ſeſe non obtulerunt. Huc accedit Medicina priſcorum, in incunabulis quaſi, cum infirmitate ſua luctans, ad adcuratas Morborum deſcriptiones, noſtro ævo profuturas, minime

---

c) Hiſtor. Natur. Lib. 25. Cap. 1. edit. Dalechampii.

d) In nave Cl. *Vaſco de Gama*, qui A:o 1497 *omnium* primus viam ad Indiam orientalem circum Promontorium Bonæ ſpei detexit & inſtituit, Scorbutus quoque maritimus primum innotuit, isque adeo *malignus*, ut ex nautis 160, centum perirent. Nec ſine commiſeratione legi poteſt relatio itineris *James Carrier* ad Newfoundland & Canadam A:o 1535 inſtituti, ubi Scorbutum ut peſtilentialem morbum graphice depinxit; Malum hoc iis antea inauditum 25 homines jugulavit, reliqui omnes graviter laborantes Divinam miſericordiam imploraruntque, & tandem, fortuito caſu, a foliis herbæ cujusdam ſanati fuerunt. Videſis plura apud *Lind* Treatiſe on Scurvy.

minime apta. *Id* vero indubium eſt, quod nomen *Scorbuti* jam uſitatum, a Belgis mutuo ſit ſumtum, apud quos *Schaarbock*, *ſchorbuyk*, *ſchorbeck* vel tormina ventris, vel malum denotare putatur, quod præcipue os torquet, adeoque cum *Plinii* Stomacace apprime convenire videatur.

§. II.

Quemadmodum regiones variæ ſuis præcipue infeſtantur morbis, in aliis aut levioribus aut plane ignotis: ita Scorbutum ſub frigidiore Jove proprium domicilium habere, vulgo creditur. Opinioni forte anſam dedit Scorbuticorum in Terris Septentrionalibus ſubinde obſervata multitudo, vel morbi, accedente frigore, inſigniter aucta vehementia. Scorbutum vero non Endemium eſſe demonſtrant Obſervatorum ſcripta. Etenim ſi frigus ad Scorbutum excitandum maxime conferret, incolæ regionum, quæ Polis propiores ſunt, morbo quoque gravius laborarent, quam qui Zonam temperatam inhabitant. Sic enim Lappones, Islandi, Grœnlandi, Kamtſchadalenſes, Patagones & incolæ Terræ Ignis horrenda mali cruciamina vix evitare poſſent, eaque tanto graviora, quo cœlum inclementius apud eos eſt. Navigatorum vero experientia edocemur, Scorbutum ſub Zona torrida æque communem eſſe, dum moderata aëris temperie, pluviis, tranquillo mari & ventorum inopia premuntur. Sic nautas in expeditione claſſica Illuſtriſſ. *Anſon*, prope terram Mexicanam fatalis Scorbutus præcipitavit *c*); & in *Hungaria*, *Italia*, *Saxonia*, interdum ſæviſſime & epidemice graſſatur, dum frigus aut nullum eſt, aut certe

c) Voyage round the World. Part. 3. C. 2.

moderatum *f)*. Hinc *Cramerus* opinionem eorum damnat, qui terras ad Septentrionem ſitas, huic malo maxime eſſe opportunas exiſtimant, ſiquidem vix durante hieme, ſed imprimis vernali & autumni tempore, Scorbutum ſævire obſervavit *g)*. Negari quidem non poteſt, rigidiorem hyemem Scorbuto correptis, vel ſemina quaſi mali occultantibus omnino eſſe pernicioſam, eique ingraveſcendi anſam ſubminiſtrare: ſed Scorbutum tamen apud Britannos, Batavos, Succos, Danos, Norvegos, ceteros boreales, Endemium eſſe morbum *Bœrhaavio h)* minime concedimus. Et ſi locis jam nominatis ſporadice, & forſitan frequentior, quam ſub calidiori climate, invenitur, id nec unice frigori, ſed tempeſtatum indoli variabili & vivendi hominum rationi, ſeu diætæ, potius eſt tribuendum. In genere vero notandum, tam in noſtris regionibus, quam aliis, malo huic maxime opportunos eſſe eos, qui vitam ſedentariam agunt, vel qui laboribus non occupantur ſudori ciendo adcommodatis, ut Eruditi, Artifices nonnulli, Textores, Sartores, Milites & Nautæ incurioſi; nec iis parcit, qui febribus quibuscunque & præſertim intermittentibus, laborarunt. Tabaci fumatores, & imprimis eos, quos antea Scorbutus male habuit, haud raro incurrit, ut ex obſervationibus *Crameri*, *Anſon*, *Rouppii i)* conſtat. Contagio quidem non magis ad alios tranſit Scorbutus, quam reliqui morbi epidemici; interim a tetro odore, quem ſpargunt miſeri afflicti, & aëre halitu eorum inqui-

f) Backſtrom obſerv. circa Scorbutum. In Collect. Differt. Med. Haller. Tom. 6.

g) Diſſertio Epiſtolica de Scorbuto.

h) Aphoriſmi de cognoſc. & curand. morb. §. 1150.

i) Liber de Morbis navigantium.

inquinato, maxime vexantur ii, quos inter ægrotos continue verſari dira cogit neceſſitas; & quamquam a corrupto aëre Scorbuti ſymptomata non contrahunt ſani ac vegeti, humores tamen eorum ad putredinem ita diſponit omnis aër mephiticus, ut ad plurima alia mala, febres præſertim putridas, ſiant procliviores. Scorbutum nihilominus ſæpius epidemice graſſantem obſervarunt Medici *k*); & in expeditionibus claſſicis epidemice ſemper fere noxam inferre ſolet.

§. III.

Ad morbum hunc vere proteiformem dignoſcendum requiritur, ut Symptomata, quibus ſæpiſſime ſtipari ſolet, eo ordine recenſeamus, quo invadere ea homines utplurimum obſervatum eſt: ad ſigna dein confirmati mali, vel ad ſummum gradum provecti, tranſeamus. Sed inter initia notandum, non omnia ſigna apud omnes ſemper adeſſe, ſed inſigniter, pro diverſa ſubjecti vel cauſſarum ratione, variare *l*).

Imum Stadium: Adgrediens autem Scorbutus, hominem pigrum, ſeu ad motum ſegnem, & puſillanimem reddit; æger ſomnum quærens, labores & ſanorum conſortium ſtudio vitat. Facies ei pallida

k) In Brabandia A:o 1556, Belgio 1562, Hungaria 1720, Pariſiis 1699, in Saxonia, in obſidione, a Suecis inſtituta, urbis Thorn &c.

l) Non piget heic Illuſtr. *Anſonii* teſtimonium adferre. Scorbuti ſymptomata (inquit) inconſtantia pariter ac innumerabilia fere ſunt; progreſſus vero & effectus ſumme anomali; etenim vix duo ægri de iisdem malis querelam habuerunt, & ſi quæ ſymptomatum conformitas interdum obſervata fuerit, mali invadendi modus & ordo inter omnes Scorbuticos in totum diſcreparunt.

eſt vel ſubflava, caruncule oculorum, nec non oris labra, rubrum ſuum colorem in vireſcentem transmutant. His vero tantum abeſt, ut facies emarceſcat, ut potius tumidula, & præſertim palpebræ inferiores, poſt ſomnum, matutino tempore, obſerventur. Admodum difficulter ſpiritum trahit. Mox genua rigent, ad minimum motum debilia; & ne quid ei moleſti deſit, gingivarum tumor, ſenſim increſcens, manducationem impedit. Increſcente paullulum morbo, dentes elevantur & vacillant; & tumefactæ jam gingivæ, ſpongiarum inſtar increſcunt, lividum colorem induunt, cruentantur; putreſcunt, ſimulque cum anima tetrum odorem ſpirant. Hæc communia in Scorbuti initio ſunt; ſi vero febre aut alio morbo laboravit æger, in gingivis prima mali indicia apparent; ſic etiam, ſi a caſu externo vulnus, fracturam vel contuſionem perpeſſus eſt, infirmum primo membrum corripitur. Poſtea cutis, quæ ſemper ſicca & lævigata ſentitur, maculis conſpurcatur mox rubris, dein lividis vel tandem nigricantibus, ad ſuras & femina maxime conſpicuis & ad variam magnitudinem increſcentibus. Haud raro etiam his locis cuticula in ſquamas abit & diſcedit. Sed jam recenſitis longe difficilior eſt dolor, qui ſemper Scorbutum comitari ſolet, & modo Dorſum, modo Tibias, vel etiam Pectoris aliquam partem cum anhelatione & tuſſi torquet: fixus interdum, vagus ſæpenumero, nunc oſtocopum, nunc Pleuritidem notham *m*), Rhevmatiſmum, Iſchiadem, vel alium morbum topicum mentitur. Æger adhuc lotium reddit coloratum, ſpumoſum & cito putreſcens, cui pinguis pellicula & coloribus variegata ſupernatat. Sanguis e vena miſſus, glutinoſus & ſpiſſus videtur. Si cita alvus ſuperaccedat, id quod deſcen-

m) *Lind* p. 158.

deſcendit, putridi odoris eſſe ſolet. Ingraveſcente morbo jam graviora pleraque ſunt ſymptomata, ut in præcipiti rem eſſe ſcias. Etenim ad leviſſimum corporis motum in Syncopen delabuntur miſeri, &, quod haud raro accidit, dum e lectulis ſurgentes, libero aëri ſe exponunt, ſubita morte animam reddunt *n*).

II:dum Stadium. Sed iis, quibus tragicam ſcenam ad finem perducere ſors eſt, jugiter accidit, ut dolores ubique vagantes juncturis genuum præcipue figantur; genicula tumeant, et Muſculis flexoribus clauſis, tali verſus nates retrahantur. Quorundam crura inſigniter quoque tumeſcunt, & ecchymoſi maculantur, vel naturæ quaſi proprio conamine, putridam ejiciendo ſentinam, ſœdis ulceribus conſpurcantur. Interdum etiam mirum in modum crura Scorbuticorum, manente figura & doloris ſenſu, lignorum inſtar obdureſcunt *o*). Fracta oſſa & Vulnera ante 50 annos ſanata iterum diſſolvuntur & recrudeſcunt, pariter ac ſi novo caſu eſſent inflicta *p*). Decidunt dentes, & gingivæ putreſcentes gangrænam admittunt; ſuperaccedit crebrior ſputatio, malum inſigniter

n) Plurima mortis repentinæ exempla apud auctores paſſim obveniunt; inter omnia memorabile quoddam apud *Lind* p. 163. In Itinere Illuſtr. *Anſon* legitur: haud raro nobis (verba ſunt auctoris) evenit, ut nautæ, qui adhuc officio ſuo aliquomodo fungi, & in ſuperiori navis parte (the deck) ambulare potuerunt, ſubito collapſi animam efflarent. Nautarum ex claſſi noſtra permulti hoc mortis genere perierunt.

o) *Lind* p. 163. *Rouppe* p. 153.

p) Memorabilia hujus phænomeni plura exempla ex Ill. *Anſonii* Itinere depromi poſſunt.

augens *q*). E variis corporis partibus cruor facile fertur, ut e naribus vel exesis gingivis; sæpe cum tussi exit, vel evomitur, vel cum lotio redditur, haud raro per excretiones alvinas, vel cum, vel etiam sine ventris tormine; sed frequentius nihil est, quam sanguinem per putrida crurum ulcera profluere.

III:um Stadium. Cum vero ad summum culmen perventum est, sæpe alii gravissimi morbi, ut Ictterus, Hydrops, Putridæ febres, Dysenteria & Melancholia, Scorbuto adsociantur; oboritur tum gravissima Dyspnœa cum respiratione laboriosa, & interdum, quod mirum est, costarum inter spirandum crepitus singularis non tantum sentitur, verum etiam auditur *r*); Petechiæ conspiciuntur; Sudor fœtidus copiose prorumpit: Sanguis atramenti nigritiem contrahit & brevi in serum corruptum dissolvitur; Urina redditur loturæ carnium similis, vel sanguine mixta; crebra animi deliquia vel minimum motum interdicunt; corporis calor ita minuitur, ut aliquot ante mortem dies omnia membra frigida sint; quibus tandem miseriis mors, ultima linea rerum, finem imponit.

Recen-

---

q) Ptyalismum Scorbuticorum descripsit egregius hujus morbi Observator *Lind* l. c. sed utrum verum symptoma, an ex sumptis antea Mercurialibus veniat, dubius hæret. Salivæ tamen fluxum in Scorbuto sæpe symptomaticum, interdum criticum esse affirmat *Rœper* dissert. de Salivatione critica in morb. ac. & chron. Vide *Hall. coll. Diss. Med. T.* 1. Etiam frequens & summe pernicioſum symptoma esse affirmat *Rouppe* l. c. p. 138. inter eos, qui fumo Tabaci sorbendo vel herbam masticando delectantur.

r) *Rouppe* p. 142. cujus causa procul dubio est costarum a cartilaginibus suis spontanea solutio.

Recenſitis ſic Scorbuti ſignis per tria, quæ habet, tempora, haud alienum ſpero, maxime memorabilia, quæ in cadaverum diſſectionibus occurrunt repetere, ut nihil relinquatur, ex quo morbi genium & effectum cognoſcere queant artis tirones. Ab initio igitur notandum, Sanguinem Scorbuticorum ut in ultimo ſtadio, ita etiam in diſſectis mortuis, atramenti inſtar, eſſe nigerrimum. Pulmones lividi plerumque & nigro ſanguine oppleti, & reſecta eorum portiuncula in aquam projecta fundum petit *s)*. In pectore & abdomine viſcera, imprimis Cor, Splen & Jecur in inſignem molem aucta *t)*, quoad colorem & conſiſtentiam mutata, indurata vel putredine confecta; nec non in cavo ventris aqua fœtidiſſima & ichoroſa effuſa, invenitur. Apertis cultello genuum articulationibus, fœtidi Ichoris quædam copia proſilit, cujus color ſubviridis, rodendi autem vis tanta eſt, ut, ſimul cum continente capſa, cartilagines & oſſa exedat: & in junioribus ſubjectis epiphyſes ab oſſis media parte ſolutas fuiſſe, haud raro obſervatum eſt. Ceterum muſculoſa caro, quanta quanta eſt, in putridam adeo labem mutata fuit, ut digitis facillime disrumpi poſſet; unde corpora mortuorum, ne intolerabili viventes odore infeſtentur, ocyſſime humo obtegi vel maris fundo demergi debent.

§. IV.

Cum in antecedentibus ſigna Scorbuti vera & diagnoſtica levi penicillo adumbraverimus, ſequitur

s) *Rouppe* p. 152. 154.

t) *Pringle* in appendice ad Tract. Diſeaſes of the Army, per novem in Scorbuticis inſtitutas diſſectiones convictus eſt, viſcera inſigniter increſcere, ubi humoribus putridis corpora laborant.

tur jam ut vitium hoc, a cæteris deformibus, quibuscum multa habet communia, paucis verbis discernamus, & si quæ specialis sit varietas, obiter indicemus. Est vero *Scorbutus morbus deformis, decolor, lassitudine præcipue matutina, stomacace & dentibus in alveolis suis vacillantibus, conspicuus u).* Hæc definitio, morbo adprime convenit, & unanimi fere Medicorum consensu est recepta. Sed in Specierum distinctione magna auctorum semper fuit dissensio. Nimirum ex tanta observationum farragine ab *Eugaleni* tempore in hunc usque diem acervatim collecta, plurima adoptata sunt symptomata, atque pro diacriticis venditata, eaque, ratione caussarum occasionalium, sæpe sibi contraria, ut Scorbutum in suas species discernere Medici necessum duxerint. Sic *Scorbutum* in *hæreditarium* vel *adventitium; latentem* vel *manifestum, mitem* vel *malignum; non contagiosum* vel *contagiosum; acidum* vel *alcalescentem, calidum* vel *frigidum; terrestrem vel varitimum;* immo *Anglicanum* vel *Belgicum v)* non rei natura, sed Medicorum quorundam distinxerunt præjudicia. Fictas ejusmodi distinctiones refutare, inutile foret, cum pleræque jam in desuetudinem abierint, & unicuique in Medicina paullum versato pateat, Species morborum a caussis evidentibus unice esse constituendas: ne tamen quid neglectum videatur, communissimas aucto-

---

u) Illustr. Præsidis Gen. Morb. N:o 223.

v) Ineptas has distinctiones, Willisio debemus, eorumque numerum adsectæ ejus auxerunt; sic *Charleton* Scorbutum dividit in rancidum, salino fixum & acidum; *Blancard* in frigidum & calidum; *Gideon Harvæus* Scorbutum Oris, Tibiarum & junctura rum seorsim tractavit; ut ceteras taceam ineptias, insufficientem hujus mali prodentes cognitionem. Fusiorem harum collectionem exhibet Biblioth. *Lindiana.*

auctorum distinctiones breviter examinare lubet. Sic Scorbutus in *terrestrem* & *maritimum* satis inepte dispescitur, cum Symptomata diagnostica non solum utrobique apprime conveniant, verum etiam ab iisdem oriantur causis, iisdemque debellentur remediis. Scorbutum *calidum* a *frigido* ita disjunctum nonnulli volunt *w*), ut illum cum inflammatione, sine phlogosi hunc adesse, statuant. Sed verus Scorbutus semper fere pulsu proditur accelerato, & sic in subjectis junioribus, floridis, laute viventibus, febri quadam stipatur, ut calidus merito dici possit; quin etiam in omnibus stadiis, febres huic malo putridæ ac lentæ adjungi solent; Scorbutus autem frigidus, major est mali Hypochondriaci gradus, ab *Eugaleno* primum cum genuino Scorbuto haud congrue commixtus; quem dein sectatores ejus ad hunc usque diem cum Scorbuto confundere solent *x*). Quid autem de Scorbuto *alcalescente* vel *acido* sit censendum, non ratiociniis solum, sed experimentis *dilucide* explicavit Cl. *Pringle y*). Etenim unicam tantum speciem Scorbuti agnoscit, nempe ab humorum muriatica putredine, quæ & ab alcalina & acida indole toto cœlo discrepat; & rejectæ insuper opinionis hanc rationem reddit, quod medicamenta antiscorbutica omnia fere alcalina esse putantur, unde Auctores Scorbuti causam forte acidum esse crediderunt, quippe quod ab alcalinis remediis potissimum subjugatur & infringitur. Nos igitur morbum

w) Eos inter novissime numerari potest *Home*, licet diacritica signa calidi & frigidi non adjunxerit, & in prognosi & cura unicam quasi speciem tractaverit. vid. *Principia Medicinæ*, Cap. de Scorbuto.

x) *Lind* hanc fallaciam optime detexit p. 38.

y) In appendice Tractatus de morbis castrensibus, ad finem Experimenti 48.

bum hunc potius ſecundum certa ejus tempora vel ſtadia §. III. diſcernimus, utpote quæ ratio ad Diagnoſin pariter atque curam rite inſtituendam plurimum valet.

§. V.

Ad cauſſas Scorbuti indagandas dum transſcendimus, occaſionales primum enumerare animus eſt, ex quibus proxime Scorbuti cauſſa, tanquam ex fontibus rivulus profluit. Ordine igitur ut progrediamur, Diætam, vel ſex res, ſic dictas, non naturales contemplabimur, atque quomodo errores in his commiſſi, corpora ad Scorbuti labem prædisponere poſſint, diſpiciemus.

1:o *Aër frigidus* humani corporis fluida ad muriaticam diſſolutionem, & ſolida ad nimiam rigiditatem disponit *z)*. Ubi vero ſimul adjuncta eſt humiditas, quæ, præcipue poros obturando, excretionem cuticularem impedit, ut ex Sanctorianis obſervationibus conſtat; mirum non eſt, quod non tantum inter climatum frigidiorum incolas, verum etiam inter nautas in pelago *a)*, & milites in caſtris, nec non inter pauperes, qui ex inopia frigent,

---

z) Illuſtr. *Præſidis* Clavis Medicinæ pag. 8.

a) Sequentia ex *Rouppio* obſervata addere lubet. Tres aſſumi poſſunt gradus, inquit, qui ad Scorbutum producendum quam maxime inſerviunt: 1) Quando incipit frigus & Mercurius in Thermometro Farenheit. 20 gr. e loco, quem æſtivis tenuit diebus, deſcendit; quacunque id fiat in regione. 2) Quando Mercurius intra illum incipientis & congelationis gradum ſtat, atque aër humidus eſt. 3) Quando Mercurius infra gradum congelationis notabiliter deſcendit atque ibi hæret. Tribus his gradibus conſuevit graſſari Scorbutus.

frigent, Scorbutus crudeliter ſæviat *b*). Frigus igitur in genere valida eſt Scorbuti cauſſa procatartica: ſed unice tamen, ſine ceteris cauſſis, poſtea commemorandis, Scorbutum minime excitat, quod Lapponum inprimis experientia docet *c*).

2:o *Ingeſta* particulas corporis, quæ motu diſſipantur, continuo reſarciunt. Sed ut corpus ſanum ſit & vegetum, alimentum quoque congruum eſſe oportet; nam a cibi potusque qualitate, humorum indoles, & ab hac ſanitas maxime pendet. In regionibus, ubi vegetabilibus ſolis, vel carnibus ſimul recentibus vivitur, Scorbutus admodum eſt infrequens; contra, ubi alimenta quæcunque muriatico ſale a corruptione ſervantur, malum hoc haud raro homines adfligere ſolet. Muria enim, quam partim ciborum condimentum, ſæpe etiam ad arcendam e carnibus, piſcibus, ceterisque alimentis, putredinem, adhibemus, humorum maſſam *inſigniter* penetrat, ſanguinis tenacitatem diſſolvit, atque gluten ſolidis adhærens abſtergit; & ſi juſto copioſius vel diutius conſumitur, vis ejus abſtergens in corrodentem mutatur. Huc accedit inſignis

b) *Rouppe* aſſerit, ſemper obſervatum eſſe, quod homines a Scorbuto immunes manſerunt, quamdiu hæc evacuatio rite atque libere ſucceſſit, & ſimul ac quacunque de cauſſa, ſaluberrima illa evacuatio impedita vel ſufflaminata fuit, ſtatim in lucem prodiiſſe Scorbuti ſymptomata. Exempla hujus rei præbent naves, quæ quotannis verſus Inſulas S. Euſtachii & Curaçao velificant. Etenim ſi quidam inter nautas Scorbuto jam affecti ſint, ut in nave, *Princeſſe Carolina*, vidi, nempe antequam navis ex patria ſit egreſſa, atque ad Tropicum appropinquet, ſenſim evaneſcit morbus; contra, ſi ex Indiis patriam verſus tendunt nautæ frigusque incurrunt, plane contrarius reſultat effectus p. 118.

c) Apud hos enim Scorbutus prorſus eſt ignotus.

insignis illa durities, quam alimentis infert muria, & quæ Ventriculi & Intestinorum vim eludens, ad succum nutritium corrumpendum & humores depravandos haud parum confert. Hinc in longis per mare itineribus, ubi carnibus & piscibus salitis, caseo salito & putrido, nec non butyro rancido præcipue vescuntur nautæ, Scorbutus ut plurimum sævitiam suam exercet: nec eum effugiunt pauperes nostrates sub annonæ caritate, vel alii, per totam fere hyemem, carnibus & halecibus sale conditis victitantes. Huc etiam vegetabilium esculentorum penuria merito refertur, quamvis eorum defectum Scorbutus non semper & necessario sequatur. Gentes enim haud paucæ e. g. Lappones, Islandi, ceteri, per octo fere menses quotannis, sine vegetabilibus, sani ac sospites vitam degunt, dum alii, quibus magna vegetabilium suppetit copia, morbo laborant *d)*. Alimenta vero vegetabilia iis non tantum salutaria, sed summe quoque necessaria esse judicamus, qui salsamentis vivere coguntur. Nam Diathesin muriaticam, quæ ab incongrua diæta progignitur, plantarum succi optime diluunt, infringunt, & per omnes excretiones, lotii vias præcipue, evacuant *e)*.

3:o *Motus* ad sanitatem conservandam æque necessarius est, ac alimenta ad vitam sustentandam. Omnis vero exercitatio humorum circuitum auget, calorem promovet & excretiones omnes, præcipue vero perspirationem per cutis poros, sublevat;

---

d) Tam defectus Vegetabilium per sat longum tempus innoxii, quam Scorburi ad copiam vegetabilium sævientis, effectus adtulit *Lind* p. 91. Sic etiam Scorbutum, qui jam per longas invaluit moras, sistere non potest cibus recens & eupeptus. conf. *Anson Voyage.*

e) Vide *Lisseri* exercitationes Medicinales: de Scorbuto.

levat; unde particulæ in ſanguine nidulantes, acres, ſalſæ, aut in putredinem vergentes, foras ejiciuntur. Ejus ope non tantum ventriculus & organa chylopœa roborantur, verum etiam tonus partibus ſolidis conciliatur. Hinc facile patet, quanta ſit ejus neceſſitas, omnibus, iis vero inprimis, qui cibo ſalſo, duro & concoctu difficili vitam ſuſtentare coguntur; aut qui vel minimam latentis Scorbuti ſuſpicionem produnt. Quamdiu enim quotidiana contentione, corpora ad ſudorem usque exercent, tamdiu etiam a Scorbuto ſunt immunes, quemadmodum nautarum, remigum & fabrorum in officinis ferrariis docet experientia *f)*. Cum vero vel labores fugiunt otioſi, vel etiam negotiis, quibus corpus fortiter movetur, occupari non poſſunt, ut milites in caſtris vel navibus *g)*, ſartores, textores, Aulici, Eruditi, & nihilominus ſalſamenta continue & avide devorant, fieri non poteſt, quin a retenta in corporibus acrimonia ſalina, Scorbutus acceleretur.

4:0

---

f) Sal per ſudorem & urinam e corpore eliminari extra omne dubium eſt. Attentione ſane dignum, (ait ſæpe laudatus *Lind*) quod ſalia quæcunque, in machina humana, quoad naturam commutantur, & in homogeneam ſeu ammoniacalem abeunt, excepto ſale muriatico, quod omnes tam fluidorum quam ſolidorum vires eludere videtur. Etenim indolem ſuam in corpore jugiter ſervans, ſine ulla mutatione per deſtillationem ex urina obtinetur, ſi quis aliquam ſalis portionem comedit. p. 88.

g) Inter ſeptem Scorbuticos in nave periclitantes, quatuor ad minimum fuiſſe milites, obſervavit *Rouppe*. In claſſica expeditione Illuſtr. *Anſon* plurimi milites Scorbuto moriebantur, quippe qui in nave laboribus occupari non poterant.

4:o *Animi pathemata*, ut ſunt terror, metus & triſtitia, Scorbuto occaſionem quoque dare Medici obſervant *b)*. Scorbutici, ut puſillanimi & ad hypochondriaſin proni, (§. III.) a levi cauſſa terrentur, vel in triſtitiam incidunt. Quod hi etiam adfectus ad Scorbuti geneſin quidquam conferre poſſint, iis paradoxon non erit, qui terrore vel triſtitia excretiones in humano corpore impediri noverunt.

Cauſſam igitur Scorbuti *proximam* in Acrimonia ſalina unice conſiſtere, ex dictis conſtat. Etenim ex memoratis cauſſis, una vel pluribus, particulis ſalinis, mox ſtimulantibus, dein rodentibus, oppletur ſanguis & diſſolvitur; unde vaſcula tandem tenerrima exeduntur, &, ubi longas malum habuerit moras, totius Machinæ ſenſim præparatur interitus.

§. VI.

Cognito morbo, ad ea quæ juvamen adferunt, properamus.

Stadium I:um. Atque adventanti quidem Scorbuto occurritur iis, quæ humores corporis blandos, puros atque dilutos reddunt, ratione ſimul habita Diætæ ſeu cauſſarum occaſionalium. Hinc protinus danda ſunt lenia alvum ducentia, dein ſucci herbarum recentium propinandi, in quibus contra Scorbutum, maximum eſt præſidium. Sunt vero hi ex Cochlearia, Naſturtio hortenſi, Cardamine pratenſi, ceterisque ex Tetradynamiſtarum ordine; Acetoſa, Beccabunga & Tropæolo, qui vel per ſe, vel lactis ſero mixti, ſumuntur. Cui firmior

b) Huxham in appendice ad Eſſays on fevers. *Rouppe* l. c. & inprimis *Anſon* Voyages round the world p. 143.

firmior ſtomachus eſt, Cochleariam crudam & Eryſimum barbaream (Winterkraſſe) comedere, non ſine emolumento poteſt. Sed ſi recentes herbæ haberi non poſſunt, ut hibernis menſibus apud nos accidit, conſervæ antiſcorbuticarum herbarum, quæ in officinis proſtant, defectum ſupplere poſſunt. Quibus, ſi aliquantulum Corticis *Winterani* additur, Stomacho forte magis conveniunt *i)*. Prodeſt quoque lac omnis generis, ſive ebutyratum, ſive purum, recens, idque vel aſininum *k)*, vel caprinum *l)*, vel, ſi ea non adſunt, bubulum *m)*.

---

i) Cortex Winteranus, qui etiam ſub nomine Canellæ albæ in officinis proſtat, ſapore aromatico præditus, Ventriculi vires inſignitur auget & Scorbuto maxime reſiſtit, teſte *Hermanno* in *Lapide Lydio*, quippe qui nautas, in expeditione navali a *Wintero* inſtituta, non tantum a morbo immunes præſtitiſſe, ſed etiam inveteratum depuliſſe malum, traditur.

k) *Hippocrates* in Ileo magnò, lac aſininum coctum cum melle, præſcripſit. *De intern. Affect. p.* 546. *edit. Fœſii.*

l) Lac caprinum commendat *Lind* p. 245.

m) Egregium Lactis uſum in Scorbuto confirmat *Hautefierks* in *Obſervations de Medecine des hoſpitaux militaires;* cujus verba, latine reddita, adſerre haud piget: De præſentia acrimoniæ ſingularis in Sanguine Scorbuticorum convicti, concludimus illam cum Diatheſi muriatica eſſe intime nuptam, ideoque Scorbuti cauſſam proximam efficere. Hac theoria ducti, curam per mundificantia, demulcentia & incraſſantia inſtituere conati ſumus, & ex voto res ſucceſſit. Nam ubi decantata antiſcorbutica ſpem fruſtraverunt, mane ægroto dedimus lactis vaccini uncias ſex, & prandii loco, portionem Oryzæ in lacte coctæ, idemque ad cœnam. Pro potu ordinario præſcripſimus Fumariæ tenuem infuſionem, & ad os colluendum Spiritus cochleariæ drachmam, cum decocti Naſturtii Unciis tribus, mixtam, por-

Sanguinem optime mundificat Serum lactis, ſucco citri vel Cremore tartari paratum, præprimis, ſi per longum tempus uſum præbet quotidianum. Juvant etiam in hoc ſtadio lenia ſudorifera, quibus cutis ſpiracula ſervantur aperta. Optima vero ſunt, quæ ex Sambuco ejusque floribus aqua præparantur infuſa. Pauperibus & quibus jam laudata remedia nimis pretioſa ſunt, ſufficiant Infuſa Rad. Armoraciæ, Raphani ſativi, Herbæ Trifolii aquatici & Fumariæ, per aquam vel tenuem cereviſiam confecta: vel Decocta ex Radicibus Britannicæ & turionibus Pini. Iis quoque Allia atque Cepæ frequentius ſumtæ, & trito cum aceto Sinapi condita proſunt alimenta. Non deſunt quoque exempla optimi ſucceſſus ex Decocto antiſcorbutico, quod auctorem *Bellovium* in caſtris Poloniæ p. m. Regis Caroli XII. medicum famigeratiſſimum agnoſcere putatur, qui ejus ope, Scorbutum ab exercitu Suecano profligavit. Paratur vero hoc ex herbæ Sedi acris recentis uncia, quæ in libram cereviſiæ infunditur, & cujus unciæ tres ſimul propinantur *n*). Dulcamaram quoque inſigni laude contra Scorbutum

porreximus. T. I. p. 324. Vide etiam *Hoffmanni Med. rat. Syſt. T. IV. p. 29.* Quin etiam, cum in Lapponia Scorbutus graviter adfligeret Monticolarum plurimos, qui initio hujus Seculi e Germania, ad res metallicas ibidem tractandas, vocati erant, & ſe a Lapponibus magica arte vexatos putarent, omnes, quotquot hoc morbi adfecti fuere, ſanavit vetula in pago *Heden*, idque ſolo lactis uſu protracto.

n) Dum Captivos e Moſcovia Suecos in patriam reduces Scorbutus peſſimus infeſtaret, vetulam aliam, Carolicoronæ, infectos omnes ſanaſſe refertur, ope Tonnæ unius Turionum pini, ſedi acris tonnæ octavæ partis, nec non Aluminis unciarum duar. cum ſemiſſe. Mixta hæc coquebantur in aqua, & ægro unicuique libra quotidie bibenda porrigebatur.

tum extollit Cl. *Sauvages o)*. Sed Diætam ægroti ordinare maximi eſt momenti. Vivat hic in aëre calore temperato, vel ſi ejus opportunitas non eſt, veſtimentis tamen bene ſit munitus. Deſidioſam vitam effugiat, ac ſalſamenta imprimis, & quævis concoctu difficilia, vitans, recentibus, quantum fieri poteſt, Vegetabilibus veſcatur.

Stadium IIum. Sed aliam Scorbutus jam inveteratus curam poſtulat, qui lenta remedia & ſegnes Medicos prorſus repudiat. Huic igitur cum leniora vix ſufficiant, ad validiora, quæ putredini reſiſtunt, ſimulque corporis colatoria aperiunt, refugiendum eſt. Eminent inter hæc, quæ lotii fluxum promovent, ut Allia, Cepæ, Porri, & inprimis Scillæ Radix: illa variis cibi generibus apte miſcenda ſunt: hæ vero Medicamenti inſtar, caute & ad granorum aliquot pondus quotidie eſt porrigenda. Putredini vero maxime reſiſtunt, atque alimentorum pravitatem emendant acida fere omnia, e vegetabilibus præcipue expreſſa, ut Succus Citrorum, Malorum Aurantiorum, Limonum, qui, cum ad protractum uſum recentes & a ſitu liberi ſervari nequeant, coctione ad Syrupi conſiſtentiam inſpiſſari poſſunt & in lagenis probe obturatis excipi, ut docet *Lind p)*. His vero in vehiculo aquoſo dilutis, ea pro potu ordinario ægrotis porrigere neceſſum eſt. Si vero hæc non adſunt, nec comparari poſſunt, acida mineralia, ut Spiritus Salis vel Vitrioli, & ex his parata Elixiria Vitrioli varia, acida, defectum ſuppleant. Sed ante omnia diæta ægroti erit corrigenda. Proſcribenda ſunt

o) Act. Pariſ. A. 1761. p. 53.

p) p. 207. Huic uſui magis inſervit ſuccus citri, vel acetum frigore concentratum, cujus præparandi modum docet Pharmacopœa noſtra Suecica p. 55.

omnia falſa, corrupta, pinguia, dyspepta, hisque ſubſtituenda vegetabilia, radices & herbæ recentes, fructus horæi, ut ſunt Mala, Pyra, Pruna, Ceraſa, cetera, præſertim recentia, vel ſi hæc haberi nequeunt, ſiccata. Sic in victus ratione potius quam in medicamentorum farragine, tutiſſimum quæritur præſidium. Interdum etiam Corticis Peruviani uſus commendatur, inprimis ubi Ulcera cruda puris benigni beneficium non admittunt. Cetera, quæ ad eorum curam pertinent, huc adferre ſupervacaneum ducimus, cum otium nobis factum ſit in *Diſſertatione de Ulceribus A:o 1769* a nobis heic edita ac defenſa *q)*. Scorbutus vero purgantia fortiora ægre admittit, ſed, ubi opus eſt, lenia ſemper poſtulat. Venæſectioni quoque heic raro locus eſt, ut *Eugalenus*, *Grainger* & *Lind*, multa edocti experientia, confirmant.

Stadium III:um. Sed longe difficilior cura eſt, ubi Scorbutus, ad ſummum culmen provectus, morbis aliis gravioribus ſeſe adjunxit; quod enim congrua Diæta non ſuppeditat, id a Medicina fruſtra exſpectatur. Symptomata tamen mitigant remedia jam exponenda. Si ſanguis e naribus, ore vel qua demum cunque parte profluens, interitum ægro exhauſto minatur, acida mineralia diluta, guttatim & ſæpe dari debent, hisque recte adjungitur Cortex peruvianus, vel forma pulveris, vel ex vino rubro decoctus. Si vero Dyſenteria, graviſſimum illud Scorbuti ſymptoma, urget, caute mercandum, ne vel ſalutaris forte evacuatio nimis cito ſiſtatur, vel protracto morbo æger ſuccumbat. Protinus igitur Rhabarbaro humores iritantes recte evacuantur, dein lenia adſtringentia, opio mixta, dolores mitigant & inteſtina roborant.

q) Sub Præſidio Exp. D. D. & Adj. Acrell.

borant. In graviori casu paullulum Aluminis haud incongrue datur, sed parca manu, & electuariis adstringentibus, ut Theriacæ vel Electuario Fracastorii additum. Ipecacuanha Spiritu Vini infusa usu se comprabavit egregio in Nosocomio navali ad Port-Mahon r); neque hoc in dubium vocabit, qui & Ipecacuanhæ vires in Dysenteria & Spiritus Vini eximiam in acaris necandis virtutem perspexit. Ubi vero dirus Hydrops Scorbutum excipit, evacuantia quævis, præcipue vero Diuretica, tentari debent. Scilla vel allio tum opus est, adhibitis interea remediis e regno vegetabili, inprimis quæ a Radice armoraciæ, Raphano vel Sedo contra Scorbutum laudantur. Sed hæc omnia in summo Scorbuti gradu parum proficiunt, siquidem caussæ, quæ morbum exitarunt, ægre admodum removentur: quapropter omne ferè punctum, qui Diætam sanitati contrariam tempestive mutare potuerit.

§. VII.

Restat jam, ut paucis differamus de modo, quo Scorbutus in castris, navibus & ceteris locis, ubi frequens & simul sævus esse solet, averti queat. Quemadmodum vero, ut antea diximus, caussæ mali præcipue vitiis Diæteticis constant, ita Diætæ ratio in Prophylaxi maxime habenda est. Moderata aëris temperies ante omnia eligi debet, & qui in frigore vel humido aëre diu vivere coguntur, vestimentis a gelu & pluviis corpora muniant. Vegetabilia, quæ per aliquod tempus succum incorruptum servant, ut Poma, Mala Citri & Aurantiorum, nec non cepæ, allia, porri, cetera, vel con-

r) Expertus est Chirurgus *Chrisie* & *Lindeo* aperuit p. 258.

condimenti inſtar, vel loco medicamenti, dari poſſunt. Inter alimenta quotidiana adhibendæ ſunt herbæ oleraceæ, ut Portulaca, Lactuca, Spinacia, Endivia, Rumex patientia, cetera, quæ omnia, ſale condita, optime in diuturnum uſum ſervantur. Cucumeres quoque ſativi & imprimis Braſſica capitata, ſale condita (Surkål *s*) inter omnia egregio ſuo uſu eminent, quibus ob exploratam contra Scorbutum virtutem, in navibus, Indias petentibus, nunc communiſſime victitare moris eſt. Nec minor prudentia in potu quam in cibis requiritur; nam aqua corrupta & putrida, quam ſub longo itinere bibere nautæ coguntur, ſi ſcorbutum non facit, malum tamen inſigniter exaſperat. Sanitati potius conveniunt Vina dulcia, pro potu continuo, aqua diluta; Succi pomorum fermentati; (Cider) Cereviſia, ſive mera, ſive herbis antiſcorbuticis & inprimis Turionibus Pini condita (Tallſtrunt-öl). Sed præſtantius in hunc usque diem nihil inventum eſt potu illo, ex Malto, aqua cocta ſuperaſſuſa, parato, cujus inventionis gloriam jure ſibi vindicat Cl. *Macbride*, Chirurgus apud Anglos experientiſſimus *t*). Sequenti vero modo id parandum curavit. Sex libris aquæ ebullientis duæ libræ malti infunduntur, mixta bene agitantur,

---

s) Braſſicam in navigatorum uſum Sale condire & ſervare optime docuit *du Hamel du Monceau* in Libello: *Moyens de conſerver la ſanté aux Equipages des Vaiſſeaux* p. 177 & ſeq.

t) In libro: *Experimental Eſſays - - on the Scurvy, with a propoſal for trying new methods to prevent or cure the ſame at Sea. Lond.* 1764. Scorbutum a defectu aëris fixi in corpore humano oriri autumat noſter, ideoque non tantum Infuſum Malti, quod in corpore effervescentiam ſubit & aërem fixum generat, ſed etiam Salia Alcalina fixa cum acidis maxime commendat.

tur, per aliquot horas tecta reponuntur ac demum colantur. Hujus infusi malti duæ libræ non tantum Scorbuto laborantibus, verum etiam sanis quotidie dare jubet; sed a parva dosi ad majorem adscendere oportet. Alvum movet, &, propter blandam vim, hoc remedium ceteris omnibus, etiam vegetabilibus recentibus, auctor anteponit. Ut vero excellentissimum hoc & generi humano utilissimum subsidium experientia quoque confirmemus, particulam Litterarum Clar. *Forster*, quas nobiscum communicare Illustr. D. *Præses* dignatus est, heic adferre *lubet u)*. Tantum autem valuit hoc potionis genus in Itinere, quod ad Terras australes incognitas instituit Cl. *Forster*, ut, per

u) Dat. d. 4. Cal. Aug. 1775. Cum nonnunquam ultra viginti hebdomadas in mari procul terra vagaremus, nec quidquam aliud nisi carnes salsas comederemus, neque nautæ tempore pluvio & ventoso per complures dies vestes mutare madentes possent, tamen vix unus & alter Scorbuto laboravit; quod unice adscribendum quod nautis una cum carne, Brassicæ oleraceæ capitatæ fermentatæ portio distribueretur pro cibo; deinde si quis symptomata Scorbutica & ingruentis signa morbi haberet, illico ei quotidie infusum Malti, unde Cerevisia fieri solet, recens propinabatur; & si jam morbus obstinatus quemquam invaserit, usque ad 4 vel 5 libras per dies ei porrigebamus, &, mirum dictu, vidi homines misere affectos Scorbuto, brevi spatio convalescere, quum nullum alium præter infusum Malti illis daretur remedium. Jam vero mea quidem sententia & experientia teste, Brassica fermentata per triennium & plus quam novem menses optime conservata fuit, & hodie cum hæc scribo, hujus fermentatæ aliquid pro prandio comedi cum aliis cibis, idque erat optimi & grati saporis, adeo incorruptum, quemadmodum id fuit cum in navem primum imponeretur. Maltum per triennium optime in doliis servavimus, at tertio anno pars aliqua mucore corrupta erat. Brassicæ fermentatæ 60 dolia in navem fuere imposita, & Malti tantum undecim, verum maxime capacia.

triennium, nautarum nullus Scorbuto periret, ſed, quod mirum eſt, duo tantummodo nautæ, unus infelici caſu & alius Phthiſi, morirentur.

Ceterum, qui Scorbuto opportuni ſunt ad ſerios corporis motus ſunt compellendi; *iis* vero qui morbo jam laborant, exercitatio caute *inſtituenda* eſt, ne illico ſuffocentur, cujus rei triſtem experientiam adferunt *Lind* & *Rouppe*. Motu quoque memborum, præcipue ambulando, contractura genuum præcavenda. Aër in continenti ſalubris mirum in modum corpora reficit, & non tantum Scorbutum pellit *v*), verum etiam homines a morbo immunes præſtat, id quod navigatorum exemplis quotidie confirmatur.

---

v) Dum ad Inſulam *Tinian* (inquit illuſtr. *Anſon*,) nautæ noſtri pervenerunt, aëris terreſtris ſalubritatem illico experti ſunt: nam cum in Pelago intra biduum 21 homines moriebantur, nunc quamdiu in Terra degimus, 10 tantum morbo occubuerunt. *Anſon* Voyage l. c.

INDEX DISSERTATIONUM

VOLUM. VI — IX.

Vol. VI. Differt. 101 — 124.
VII. — — 125 — 150.
VIII. — — 151 — 171.
IX. — — 172 — 186.

BOTANICÆ.

Monographæ.

128 Opobalſamum.
122 Quaſſia.
122 Ledum paluſtre.
164 Marum.
156 Dulcamara.
165 Viola Ipecacuanha.
171 Hypericum.
162 Cimicifuga.
160 Fraga veſca.
137 Thea.
110 Coffea.
114 Alſtrœmeria.
155 Erica.
170 Aphyteia.

Floræ.

104 Flora Belgica.
154 Flora Åkeröenſis.
157 Flora Rybyenſis.

Deſcriptiones.

106 Plantæ Africanæ.
166 Plantæ Surinamenſes.

Varia.

151 Coloniæ plantarum.
115 Nectaria Florum.
118 Prolepſis plantarum I.
120 Prolepſis plantarum II.

145 Usus Muscorum.
113 Termini botanici.
134 Fund. Agrostologiæ.
116 Fundamentum Fructificat.
117 Reformatio Botanices.

ZOOLOGICÆ.

Monographiæ.

105 Anthropomorpha.
142 Siren lacertina.
108 Meloë vesicatorius.
169 Bigæ insectorum.
127 Hirudo medicinalis.

Descriptiones.

157 Pandora Rybyensis.
121 Centuria Insectorum.
149 Rariora Norvegiæ.
150 Iter Chinense.

Variæ.

102 Politia Naturæ.
101 Generatio ambigena.
143 Metamorphosis humana.
146 Mundus invisibilis.
163 Esca avium domesticarum.
132 Fund. Ornithologiæ.
133 Fund. Entomologiæ.
158 Fund. Testaceologiæ.

MEDICÆ.

161 Obs. in Mat. medicam.
183 Purgantia.
141 Purgantia indigena.
177 Ambrosiaca.
140 Menthæ usus.
168 Opium.
176 Cortex peruvianus.
173 Meth. inv. vires med. chemica.

* * *

179 Venæ resorbentes.
184 Perspiratio insensibilis.
129 Diæta Ætatum.
109 Diæta acidularis.
125 Motus polychrestus.
159 Respiratio diætetica.
135 Varietas ciborum.
136 Fervida et gelida.
138 Cho-

138 Chocolata.
111 Inebriantia.
139 Spiritus frumenti.
124 Genera Morborum.
130 Morbi artificum.
153 Morbi Nautarum Indiæ.
175 Pulsus intermittens.
181 Hæmorrhagiæ ex plethora.
178 Hæmoptysis.
172 Hæmorrhagiæ uteri gravidarum.
123 Raphania.
131 Lepra.
186 Scorbutus.
112 Morsura Serpentum.
152 Medicus sui ipsius.
144 Cura generalis.
180 Curat. Febr. intermittentium.
174 Confectaria electrico-medica.
182 Suturæ vulnerum.
103 Theses Medicæ.
185 Canones medici.

* * *

147 Usus hist. nat.
148 Necess. hist. nat. Ross.
126 Hortus culinaris.
107 Macellum olitorium.
119 Fructus esculenti.

CATA-

CATALOGUS DISSERTATIONUM

SUB PRÆSIDIO

B. EQU. ET ARCHIATRI

CAR. A LINNÉ

HABITARUM, ORDINE CHRONOLOGICO.

1743.

1. Betula nana. Reſp. *L. M. Klaſe.* Jun. 30. Vol. I. n. 1

1744.

2. Ficus. *C. Hegardt.* Sept. 15. — — 2
3. Peloria. *D. Rudberg.* Dec. 19. — — 3

1745.

4. Corallia baltica. *H. Fougt.* Jun. 8. — — 4
5. Amphibia Gyllenborgiana. *B. R. Haſt.* Jun. 18. — — 5
6. Plantæ Martino-Burſerianæ. *R. Martin.* Dec. 12. — — 6
7. Hortus Upſalienſis. *S. Naucler.* Dec. 16. — — 7
8. Paſſiflora. *J. G. Hallman.* Dec. 18. — — 8

9. Anan-

9. Anandria. *E. Z. Tursén.* Dec. 20. Vol. I. n. 9
10. Acroſtichum. *J. B. Heiligtag.* Dec. 23. — — 10

1746.

11. Muſeum Adolpho-Fridericianum. *L. Balk.* Maj. 31. — — 11
12. Sponſalia plantarum. *J. G. Wahlbom.* Jun. 11. — — 12

1747.

13. Nova plantarum Genera. *C. M. Daſſow.* Jun. 15. — — 13
14. Vires plantarum. *F. Haſſelquiſt.* Jun. — — 14
15. Cryſtallorum generatio. *M. Kæhler.* Dec. 22. — — 15

1748.

16. Tænia. *G. Dubois.* Maj. 9. Vol. II. n. 20
17. Surinamenſia Grilliana. *P. Sund.* Jun. 18. Vol. I. n. 16
18. Flora oeconomica. *E. Aſpelin.* Jun. 25. — — 17
19. Curioſitas naturalis. *O. Söderberg.* Jun. 31. — — 18

1749.

20. Oeconomia naturæ. *J. Biberg.* Mart. 4. Vol. II. n. 19
21. Lignum colubrinum. *J. A. Darelius.* Mart. 11. — — 21

22. Ge-

22. Geneſis Calculi. *J. O. Hagſtröm.* April. 5. Vol.II. n.23
23. Radix Senega. *J. Kiernander.* April. 8. — — 22
24. Gemmæ arborum. *P. Loeſling.* Nov. 8. — — 24
25. Hæmorrhagiæ uteri ſub ſtatu graviditatis. *E. Elf.* Dec. 6. Vol.IX. n.172
26. Pan Suecus. *N. Heſſelgren.* Dec. 9. Vol. II. n.25

1750.

27. Splachnum. *L. Mantin.* Mart. 28. — — 26
28. Semina Muſcorum. *P. J. Bergius.* Maj. 25. — — 27
29. Materia medica e regno animali. *J. Sidrén.* Maj. 25. — — 28
30. Plantæ Camtſchatcenſes rariores. *J. Halenius.* Dec. 22. — — 29

1751.

31. Sapor Medicamentorum. *J. Rudberg.* Febr. 20. — — 30
32. Nova plantarum genera. *L. J. Chenon.* Oct. 19. Vol.III. n.31
33. Plantæ hybridæ. *J. Haartman.* Nov. 23. — — 32

1752.

34. Morbi ex hieme. *S. Brodd.* Jan. 11. — — 37
35. Obſtacula Medicinæ. *J. G. Beyerſteen,* Febr. 19. — — 33

36. Plan-

36. Plantæ eſculentæ Patriæ. *J. Hiorth.* Febr. 22. Vol. III. n. 34
37. Euphorbia. *J. Wiman.* Maji 6. — — 35
38. Materia medica e regno lapideo. *J. Lindbult.* Maji 18. — — 36
39. Noctiluca marina. *C. F. Adler.* Maj. — — 39
40. Odores Medicamentorum. *A. Wåhlin.* Jun. 30. — — 38
41. Rhabarbarum. *S. Ziervogel.* Jul. 17. — — 40
42. Quæſtio hiſt. nat. Cui bono? *C. Gedner.* Oct. 21. — — 41
43. Hoſpita Inſectorum Flora. *J. G. Forſkål.* Nov. 4. — — 43
44. Nutrix Noverca. *F. Lindberg.* Nov. 7. — — 42
45. Miracula Inſectorum. *G. E. Avelin.* Nov. 19. — — 44
46. Noxa Inſectorum. *M. Bæckner.* Dec. 18. — — 45

1753.

47. Vernatio arborum. *H. Barck.* Maj. 5. — — 46
48. Incrementa Botanices. *J. Biuur.* Jun. 11. — — 47
49. Demonſtrationes Plantarum. *J. C. Höjer.* Oct. 3. — — 48
50. Herbationes Upſalienſes. *A. Fornander.* Oct. 13. — — 49

51. Inſtructio muſei rerum naturalium. *D. Hultman.* Nov. 14. Vol.III. n.50

52. Plantæ officinales. *N. Gahn.* Dec. 15. Vol.IV. n.51

53. Cenſura Simplicium. *G. J. Carlbohm.* Dec. 19. — — 52

54. Canis familiaris. *E. M. Lindecrantz.* Dec. 21. — — 53

1754.

55. Stationes plantarum. *A. Hedenberg.* April. 3. — — 54

56. Flora Anglica. *J. Grufberg.* April. 3. — — 55

57. Herbarium Amboinenſe. *O. Stickman.* Maj. 9. — — 56

58. Methodus inveſtigandi vires Medicamentorum chemica. *L. Hiortzberg.* Oct. 3. Vol.IX. n.173

59. Conſectaria electrico-medica. *P. Zetzell.* Oct. 12. — — 174

60. Cervus Tarandus. *C. F. Hoffberg.* Oct. 23. Vol.IV. n.57

61. Ovis. *J. Palmærus.* Oct. 30. — — 58

62. Mus Porcellus. *J. J. Nauman.* Nov. 20. — — 59

63. Horticultura academica. *J. G. Wollrath.* Dec. 18. — — 60

64. Chinenſia Lagerſtroemiana. *J. L. Odhelius.* Dec. 23. — — 61

1755.

1755.

65. Centuria I. Plantarum. *A. D. Juslenius.* Febr. 19. Vol.IV. n.62

66. Fungus Melitenſis. *J. Pfeiffer.* Maji 20. — — 65

67. Metamorphoſis Plantarum. *N. E. Dahlberg.* Jun. 3. — — 66

68. Somnus Plantarum. *P. Bremer.* Dec. 10. — — 64

1756.

69. Flora Palæſtina. *B. J. Strand.* Mart. 10. — — 69

70. Flora Alpina. *N. N. Åman.* Mart. 24. — — 68

71. Calendarium Floræ. *A. M. Berger.* Mart. 31. — — 67

72. Pulſus intermittens. *A. Wahlin.* Maj. 5. Vol.IX. n.175

73. Centuria II. Plantarum. *E. Torner.* Jun. 11. Vol.IV. n.63

74. Flora Monſpelienſis. *T. E. Nathhorſt.* Jun. 15. — — 70

75. Fundamenta valetudinis. *P. Engſtröm.* Jun. 17. — — 71

76. Specifica Canadenſium. *J. v. Cölln.* Jun. 19. — — 72

77. Acetaria. *H. von der Burg.* Jul. 29. — — 73

78. Phalæna Bombyx. *J. Lyman.* Dec. 4. — — 74

1757.

79. Migrationes Avium. *C. D. Ekmarck.* Mart. 2. Vol. IV. n. 75

80. Morbi Expeditionis classicæ 1756. *P. Bierchén.* Maj. 18. Vol. V. n. 76

81. Febris Upsalienſis. *A. Boſtröm.* Maj. 21. — — 77

82. Flora Danica. *G. T. Holm.* Jun. 2. — — 78

83. Panis diæteticus. *J. Svenſſon.* Jun. 8. — — 79

84. Natura Pelagi. *J. H. Hager.* Jun. 18. — — 80

85. Buxbaumia. *A. R. Martin.* Jun. 22. — — 81

86. Exanthemata viva. *J. C. Nyander.* Jun. 23. — — 82

87. Transmutatio Frumentorum. *B. Hornborg.* Sept. 28. — — 83

88. Culina mutata. *M. G. Öſterman.* Nov. 16. — — 84

1758.

89. Spigelia Anthelmia. *J. G. Colliander.* Mart. 22. — — 85

90. Cortex peruvianus. *J. C. Peterſen.* Maj. 10. Vol. IX. n. 176

91. Frutetum Succicum. *D. M. Virgander.* Maj. 23. Vol. V. n. 88

92. Medicamenta graveolentia. *J. T. Fagræus.* Jun. 13. — — 86

93. Pan-

93. Pandora Insectorum. *E. O. Rydbeck.* Jul. 15. — Vol. V. n. 89

1759.

94. Senium Salomoneum. *J. Pilgren.* Febr. 21. — — 90

95. Auctores Botanici. *A. Loo.* Mart. 14. — — 91

96. Instructio Peregrinatoris. *C. A. Nordblad.* Maj. 9. — — 92

97. Plantæ tinctoriæ. *E. Jörlin.* Maj. 16. — — 93

98. Animalia composita. *A. Bæck.* Maj. 23. — — 94

99. Flora Capensis. *C. H. Wænman.* Maj. 30. — — 95

100. Ambrosiaca. *J. Hydeen.* Jun. 20. Vol. IX. n. 177

101. Arboretum Suecicum. *D. D. Pontin.* Jun. 30. Vol. V. n. 87

102. Genera Morborum. *J. Schröder.* Dec. 5. Vol. VI. n. 124

103. Generatio ambigena. *L. C. Ramström.* Dec. 12. — — 101

104. Flora Jamaïcensis. *C. G. Sandmark.* Dec. 13. Vol. V. n. 96

105. Aër habitabilis. *J. V. Siefvert.* Dec. 22. — — 99

106. Nomenclator Plantarum. *B. Berzelius.* Dec. 24. — — 98

107. Sus Scrofa. *L. Lindb.* Dec. 24. — — 100

108. Pugillus Jamaïcenſium Plantarum. *G. Elmgren.* Dec. 28. Vol. V. n. 97

1760.

109. Politia Naturæ. *C. D. Wilcke.* Mart. 29. Vol. VI. n. 102
110. Plantæ Africanæ rariores. *J. Printz.* Maj. 20. — — 106
111. Theſes Medicæ. *J. C. D. Schreber.* Jun. 14. — — 103
112. Anthropomorpha. *C. E. Hoppius.* Sept. 6. — — 105
113. Flora Belgica. *C. F. Roſenthal.* Oct. 15. — — 104
114. Macellum olitorium. *J. Jerlin.* Dec. 20. — — 107
115. Prolepſis Plantarum I. *H. Ullmark.* Dec. 22. — — 118

1761.

116. Diæta acidularis. *E. Vigelius.* Febr. 18. — — 109
117. Potus Coffeæ. *H. Sparſchuch.* Dec. 16. — — 110

1762.

118. Inebriantia. *O. R. Alander.* April. 7. — — 111
119. Morſura Serpentum. *J. G. Acrell.* Maj. 16. — — 112
120. Termini Botanici. *J. Elmgreen.* Jun. 22. — — 113

121. Planta Alſtroemeria. *J. P. Falk.* Jun. 23. Vol.VI. n.114
122. Nectaria Florum. *B. M. Hall.* Jun. 25. — — 115
123. Fundamentum Fructificationis. *J. M. Gråberg.* Oct. 16. — — 116
124. Reformatio Botanices. *J. M. Reſtelius.* Dec. 18. — — 117
125. Meloë Veſicatorius. *C. A. Lenæus.* Dec. 20. — — 108

1763.

126. Raphania. *G. Rothman.* Maj. 27. — — 123
127. Lignum Quaſſiæ. *C. M. Blom.* Maj. 28. — — 122
128. Fructus eſculenti. *J. Salberg.* Jun. 11. — — 119
129. Prolepſis Plantarum II. *J. J. Ferber.* Jun. 12. — — 120
130. Lepra. *J. Uddman.* Jun. 17. Vol.VII. n.131
131. Centuria Inſectorum. *B. Johanſſon.* Jun. 23. Vol.VI. n.121
132. Motus polychreſtus. *Chr. Lado.* Dec. 23. Vol.VII. n.125

1764.

133. Diæta Ætatum. *D. J. Oehrquiſt.* Maji . . . — — 129
134. Morbi Artificum. *N. Skragge.* Jun. 15. — — 130
135. Hortus culinaris. *J. C. Tengborg.* Jun. 22. — — 126

136. Spiritus Frumenti. *P. Bergius.* Dec. 19. Vol. VII. n. 139

137. Opobalſamum declaratum. *W. le Moine.* Dec. 22. — — 128

1765.

138. Hirudo medicinalis. *D. Weſer.* Mart. 6. — — 127

139. Fundamenta Ornithologiæ. *A. P. Bæckman.* Maj. 4. — — 132

140. Potus Chocolatæ. *A. Hoffman.* Maj. 18. — — 138

141. Fervida et Gelida. *C. Ribe.* Jun. 12. — — 136

142. Potus Theæ. *P. C. Tillæus.* Dec. 7. — — 137

1766.

143. Purgantia indigena. *P. Strandman.* Febr. 26. — — 141

144. Neceſſitas Hiſt. nat. Roſſiæ. *A. de Karamyſchen.* Maj. 15. — — 148

145. Uſus Hiſtoriæ naturalis. *M. Aphonin.* Maj. 17. — — 147

146. Siren lacertina. *A. Oeſterman.* Jun. 21. — — 142

147. Cura generalis. *J. G. Bergman.* Dec. 10. — — 144

148. Uſus Muſcorum. *A. H. Berlin.* Dec. 17. — — 145

1767.

149. Mundus inviſibilis. *J. C. Roos.* Mart. 6. Vol. VII. n. 145

150. Hæmoptyſis. *J. M. Gråberg.* Maj. 13. Vol. IX. n. 178

151. Venæ reſorbentes. *C. P. Thunberg.* Jun. 2. — — 179

152. Menthæ uſus. *C. G. Laurin.* Jun. 13. Vol. VII. n. 140

153. Fundamenta Entomologiæ. *A. J. Bladh.* Jun. 14. — — 133

154. Fundamenta Agroſtographiæ. *H. Gahn.* Jun. 27. — — 134

155. Metamorphoſis humana. *J. A. Wadſtröm.* Dec. 16. — — 143

156. Varietas Ciborum. *A. H. Wedenberg.* Dec. 18. — — 135

1768.

157. Rariora Norvagiæ. *H. Tonning.* Febr. 27. — — 149

158. Coloniæ Plantarum. *J. Flygare.* Jun. 15. Vol. VIII. n. 151

159. Medicus ſui ipſius. *J. Gryſſelius.* Jun. — — 152

160. Morbi Nautarum Indiæ. *C. H. Wänman.* Nov. 5. — — 153

161. Iter in Chinam. *A. Sparrman.* Nov. 30. Vol. VII. n. 150

1769.

162. Flora Åkeröenſis. *C. J. Luut.* Dec. 23. Vol. VIII. n. 144

1770.

163. Erica. *J. A. Dahlgren.* Dec. 19. Vol. VIII. n. 155.

1771.

164. Dulcamara. *G. Hallenberg.* Maj. 29. — — 156

165. Pandora et Flora Rybyenſis. *D. H. Söderberg.* Jun. 26. — — 157

166. Fundamenta Teſtaceologiæ. *A. Murray.* Jun. 29. — — 158

167. Febrium intermittentium curatio varia. *P. Tillæus.* Dec. 11. Vol. IX. n. 180

1772.

168. Reſpiratio diætetica. *J. Ullholm.* April. 29. Vol. VIII. n. 159

169. Hæmorrhagiæ ex Plethora. *E. ab Heidenſtam.* Maj. 23. Vol. IX. n. 181

170. Fraga veſca. *S. A. Hedin.* Maj. 26. Vol. VIII. n. 160

171. Obſervationes in Materiam medicam. *J. Lindwall.* Jun. 5. — — 161

172. Suturæ vulnerum. *C. E. Boecler.* Jun. 27. Vol. IX. n. 182

1774.

173. Planta Cimicifuga. *J. Hornborg.* Sept. Vol. VIII. n. 162

174. Eſca Avium domeſticarum. *P. Holmberger.* Nov. 26. — — 163

175. Ma-

175. Marum. *J. A. Dahlgren.* Dec. 3. Vol. VIII. n. 164
176. Viola Ipecacuanha. *D. Wickman.* Dec. 16. — — 165

1775.

177. Plantæ Surinamenſes. *J. Alm.* Jun. 23. — — 166
178. Ledum paluſtre. *J. P. Weſtring.* Oct. 25. — — 167
179. Opium. *G. E. Georgii.* Nov. 15. — — 168
180. Medicamenta purgantia. *J. Rotheram.* Nov. 22. Vol. IX. n. 183
181. Perſpiratio inſenſibilis. *N. Avellan.* Nov. 25. — — 184
182. Canones medici. *S. A. Hedin.* Nov. 29. — — 185
183. Scorbutus. *E. D. Salomon.* Nov. — — 186
184. Bigæ Inſectorum. *A. Dahl.* Dec. 18. Vol. VIII. n. 169

1776.

185. Planta Aphyteia. *E. Acharius.* Jun. 22. — — 170
186. Hypericum. *C. N. Hellenius.* Nov. 20. — — 171

TYPIS ELLRODTIANIS.